

Periochae

Titus Livius

I

[A.] Adventus Aeneae in Italiam et res gestae. Ascani regnum Albae et deinceps Silviorum. Numitoris filia a Marte compressa nati Romulus et Remus. Amulius obruncatus. Urbs a Romulo condita. Senatus lectus. Cum Sabinis bellatum. Spolia opima Feretrio Iovi lata. In curias populus divisus. Fidenates, Veientes victi. Romulus consecratus.

Numa Pompilius ritus sacrorum tradidit. Porta Iani clausa.

Tullus Hostilius Albanos diripuit. Trigeminorum pugna. Metti Fufeti supplicium. Tullus fulmine consumptus.

Ancus Marcius Latinos devicit, Ostiam condidit.

Tarquinius Priscus Latinos superavit, circum fecit, finitimos devicit, muros et cloacas fecit.

Servio Tullio caput arsit. Servius Tullius Veientes devicit et populum in classes divisit, aedem Dianae dedicavit.

Tarquinius Superbus occiso Tullio regnum invasit. Tulliae scelus in patrem. Turnus Herdonius per Tarquinium occisus. Bellum cum Vulscis. Fraude Sex. Tarquini Gabi direpti. Capitolium inchoatum. Termonis et Iuventae arae moveri non potuerunt. Lucretia se occidit. Superbi expulsio. Regnatum est annis CCLV

[B.] Latinis victis montem Aventinum adsignavit, fines protulit, Hostiam coloniam deduxit, caerimonias a Numa institutas renovavit.

Hic temptandae scientiae Atti Navi auguris causa fertur consuluisse eum, an id de quo cogitaret effici posset; quod cum ille fieri posse dixisset, iussisse eum novacula cotem praecidere, idque ab Atto protinus factum.

[Regnavit annis XXIII. Eo regnante Lucumo, Demarati Corinthi filius, a Tarquinis, Etrusca civitate, Romam venit et in amicitiam Anci receptus Tarquini Prisci nomen ferre coepit et post mortem Anci regnum excepit. Centum in patres allegit, Latinos subegit, ludos in circo edidit, equitum centurias ampliavit, urbem muro circumdedit, cloacas fecit.] Occisus est ab Anci filiis, cum regnasset annis XXXVIII.

Successit ei Servius Tullius, natus ex captiva nobili Corniculana, cui puero athuc in cunis posito caput arsisse traditum erat. Is censum primum egit, lustrum condidit, quo censa LXXX milia esse dicuntur, pomerium protulit, colles urbi adiecit Quirinalem, Viminalem, Aesquilinum, templum Dianae cum Latinis in Aventino fecit. Interfectus est a Lucio Tarquinio, Prisci filio, consilio filiae suae Tulliae, cum regnasset annis XLIII.

Post hunc L. Tarquinius Superbus neque patrum neque populi iussu regnum invasit. Is armatos circa se in custodiam sui habuit. Bellum cum Vulscis gessit et ex spoliis eorum templum in Capitolio Iovi fecit. Gabios dolo in potestatem suam redegit. Huius filiis Delphos profectis et consulentibus quis eorum Romae regnaturus esset, dictum est eum regnaturum qui primum matrem osculatus esset. Quod responsum cum ipsi aliter interpretarentur, Iunius Brutus, qui cum his profectus erat, prolapsus se simulavit et terram osculatus est; idque factum eius eventus conprobavit. Nam cum inpotenter se gerendo Tarquinius Superbus omnes in odium sui adduxisset, ad ultimum propter expugnatam nocturna vi a Sexto filio eius Lucretiae pudicitiam, quae ad se vocato patre Tricipitino et viro Collatino obtestata ne inulta mora eius esset cultro se interfecit, Bruti opera maxime expulsus est, cum regnasset annos XXV. Tum consules primi creati sunt L. Iunius Brutus L. Tarquinius Collatinus.

II

Brutus iureiurando populum adstrinxit neminem Romae regnare passuros. Tarquinius Collatinum collegam suum propter adfinitatem Tarquiniolorum suspectum coegit consulatu se abdicare et civitate cedere. Bona regum diripi iussit, agrum Marti consecravit, qui campus Martius nominatus est. Adulescentes nobiles, in quibus suos quoque et fratris filios, quia coniuraverant de recipiendis regibus, securi percussit. Servo indici, cui Vindicio nomen fuit, libertatem dedit; ei cuius nomine vindicta appellata.

Cum adversus reges, qui contractis Veientum et Tarquiniensium copiis bellum intulerant, exercitum duxisset, in acie cum Arrunte filio Superbi commortuus est; eumque matronae anno luxerunt.

P. Valerius consul legem de provocatione ad populum tulit. Capitolium dedicatum est.

Porsenna, Clusinarum rex, bello pro Tarquinis suscepto cum ad Ianiculum venisset, ne Tiberim transiret virtute Coclitis Horati prohibitus est, qui, dum alii pontem Sublicium rescindunt, solus Etruscos sustinuit et ponte rupto armatus in flumen se misit et ad suos transnavit. Accessit alterum virtutis exemplum in Mucio. Qui cum ad feriendum Porsennam castra hostium intrasset, occiso scriba, quem regem esse existimaverat, comprehensus inpositam manum altaribus, in quibus sacrificatum erat, exuri passus est dixitque tales CCC esse. Quorum admiratione coactus Porsenna pacis condiciones ferre bellum omisit acceptis obsidibus. Ex quibus virgo una Cloelia deceptis custodibus per Tiberim ad suos transnavit et cum reddita esset, a Porsenna honorifice remissa equestri statua donata est.

Adversus Tarquinius Superbum cum Latinorum exercitu bellum inferentem Aulus Postumius dictator prospere pugnavit.

Appius Claudius ex Sabinis Romam transfugit. Ob hoc Claudia tribus adiecta est numerusque tribuum ampliatus est, ut essent XXI.

Plebs cum propter nexos ob aes alienum in Sacrum montem secessisset, consilio Meneni Agrippae a seditione revocata eat. Idem Agrippa cum decessisset, propter paupertatem publico incendio elatus est. Tribuni plebis quinque creati sunt.

Oppidum Vulscorum Corioli captum est virtute et opera Cn. Marci, qui ob hoc Coriolanus vocatus est.

T. Latinius, vir de plebe, cum in visu admonitus ut de quibusdam religionibus ad senatum perferret id neglexisset, amisso filio pedibus debilis factus, postquam delatus ad senatum lectica eadem illa indicaverat, usu pedum recepto domum reversus est.

Cum Cn. Marcius Coriolanus, qui in exilium erat pulsus, dux Vulacorum factus exercitum hostium urbi admovisset, et missi ad eum primum legati, postea sacerdotes frustra deprecati essent ne bellum patriae inferret, Veturia mater et Volumnia uxor impetraverunt ab eo, ut recederet.

Lex agraria primum lata est.

Spurius Cossius consularis regni crimine damnatus est necatusque.

Opillia virgo Vestalis ob incestum viva defossa est.

Cum vicini Veientes incommodi magis quam graves essent, familia Fabiorum id bellum gerendum deposcit misitque in id trecentos et sex armatos, qui ad Cremeram praeter unum ab hostibus caesi sunt.

Appius Claudius cos. cum adversus Vulscos contumacia exercitus male pugnatum esset, decimum quemque militum fuste percussit.

Res praeterea adversus Vulscos et Hernicos et Veientes et seditiones inter patres plebemque continet.

III

Seditiones de agrariis legibus fuere. Capitolium ab exulibus et servis occupatum caesis his receptum est.

Census bis actus est. Priore lustro censa sunt civium capita +VIII milia DCCXIII+ praeter orbos orbisque, sequenti CXVII milia CCXVIII.

Cum adversus Aequos male gesta res esset, L. Quintius Cincinnatus dictator factus, cum rure intentus operi rustico esset, ad id bellum gerendum arcessitus est. Is victos hostes sub iugum misit.

Tribunorum plebis numerus ampliatus est, ut essent X, tricesimo sexto anno [a] primis tribunis plebis.

Petitis per legatos et adlatis Atticis legibus ad constituendas eas proponendasque X viri pro consulibus sine ullis aliis magistratibus creati altero et trecentesimo anno quam Roma condita erat, et ut a regibus ad consules, ita a consulibus ad X viros imperium translatum. Hi X tabulis legum positis cum modeste se in eo honore gessissent et ob id in alterum quoque annum eundem esse magistratum placuisset, duabus tabulis ad X adiectis cum complura inpotenter fecissent, magistratum noluerunt deponere et in tertium annum retinuerunt, donec invisio eorum imperio finem adtulit libido Appi Claudii. Qui cum in amorem Virginiae virginis incidisset, summisso, qui eam in servitutem peteret, necessitatem patri eius Virginio inposuit. Rapto ex taberna proxima cultro filiam occidit, cum aliter effici non posset ne in potestatem stuprum inlaturi veniret. Hoc tam magnae iniuriae exemplo plebs concitata montem Aventinum occupavit coegitque X viros abdicare se magistratu. Ex quibus Appius, qui praecipuam poenam meruerat, in carcerem coniectus est; ceteri in exilium acti.

Res praeterea contra Sabinos et Vulscos prospere gestas continet et parum honestum populi Romani iudicium, qui iudex inter Ardeates et Aricinos sumptus agrum de quo ambigebatur sibi adiudicavit.

IV

Lex de conubio patrum et plebis a tribunis contentione magna patribus repugnantibus perlata est.

Tribuni * * * plebis.

Aliquot annos res populi R. domi militiaeque per hoc genus magistratus administratae sunt. Item censores tunc primum creati sunt.

Ager Ardeatibus populi iudicio ablati missis in eum colonis restitutus est.

Cum fame populus R. laboraret, Sp. Maenius eques R. frumentum populo sua inpensa largitus est et ob hoc factum conciliata sibi plebe regnum adfectans a C. Servilio Ahala magistro equitum iussu Quinti Cincinnati dictatoris occisus est; L. Minucius index bove aurata donatus est.

Legatis Romanorum a Fidenatibus occisis, quoniam ob rem p. morte occubuerant, staturae in rostris positae sunt.

Cossus Cornelius tribunus militum occiso Tolumnio, Veientum rege, opima spolia secunda rettulit.

Mam. Aemilius dictator censurae honorem qui antea per quinquennium gerebatur, anni et sex mensum spatio finit; ob eam rem a censoribus notatus est.

Fidenae in potestatom redactae eoque coloni missi sunt; quibus occisis Fidenates cum defecissent, ab Mam. Aemilio dictatore victi sunt et Fidenae captae.

Coniuratio servorum oppressa est.

Postumius tribunus militum propter crudelitatem ab exercitu occisus est.

Stipendium ex aerario tum primum militibus datum est.

Res praeterea gestas adversus Vulscos at Fidenates et Faliscos continet.

V

In obsidione Veiorum tabernacula militibus facta sunt. Ea res cum esset noua, indignationem tribunorum plebis mouit quarentium non dari plebi, nec per hiemem, militiae requiem.

Equites tum primum equis suis mereri coeperunt.

Cum inundatio ex lacu Albano facta esset, uates qui eam rem interpretaretur ex hostibus captus est.

Furius Camillus dictator X annis obsessos Veios cepit, simulacrum Iunonis Romam transtulit, decimam praedae Delphos Apollini misit. Idem tribunus militum cum Faliscos obsideret, proditos hostium filios parentibus remisit statimque deditione facta Faliscorum uictoriam iustitia consecutus est. Cum alter ex censoribus C. Iulius decessisset, in locum eius M. Cornelius suffectus est. Nec id postea factum est, quoniam eo lustro a Gallis Roma capta est.

Furius Camillus, cum dies ei ab L. Apuleio tribuno pl. dicta esset, in exilium abiit.

Cum Galli Senones Clusium obsiderent et legati a senatu missi ad componendam inter eos et Clusinos pacem pugnantibus contra Gallos starent in acie Clusinorum, hoc facto eorum concitati Senones urbem infesto exercitu petierunt fusisque ad Aliam Romanis cepere urbem praeter Capitolium, quo se iuuentus contulerat ; maiores natu cum insignibus honorum, quos quisque gesserat, in uestibulis aedium sedentes occiderunt. Et cum per auersam partem Capitoli iam in summum euasissent, proditi clangore anserum M. Manli praecipue opera deiecti sunt. Coactis deinde propter famem Romanis descendere, ut M pondo auri darent et hoc pretio finem obsidionis emerent, Furius Camillus, dictator absens creatus, inter ipsum conloquium, quo de pacis condicionibus agebatur, cum exercitu uenit et Gallos post sextum mensem urbe expulit ceciditque.

Dictum est ad Veios migrandum esse propter incensam et dirutam urbem, quod consilium Camillo auctore discussum est. Mouit populum uocis quoque omen ex centurione audita, qui cum in forum uenisset, manipularibus suis dixerat : "Sta, miles, hic optime manebimus !".

Aedis Ioui Capitolino facta est, quod ante urbem captam uox audita erat aduentare Gallos.

VI

Res aduersus Vulscos et Aequos et Praenestinos prospere gestas continet.

Quattuor tribus adiectae sunt, Stellatina, Tromentina, Sabatina, Arniensis. M. Manlius, qui Capitolium a Gallis defenderat, cum obstrictos aere alieno liberaret, nexos exsolueret, crimine adfectati regni damnatus de Saxo deiectus est. In cuius notam S. C. factum est, ne cui de Manlia gente Marco nomen esset.

C. Licinius et L. Sextius tribuni pl. legem promulgauerunt, ut consules ex plebe fierent, qui ex patribus creabantur, eamque cum magna contentione repugnantibus patribus, cum idem tribuni pl. per quinquennium soli magistratus fuissent, pertulerunt ; et primus ex plebe consul L. Sextius creatus est.

Lata est et altera lex, ne cui plus quingentis iugeribus agri liceret possidere.

VII

Duo noui magistratus adiecti sunt, praetura et curulis aedilitas. Pestilentia ciuitas laborauit eamque insignem fecit mors Furi Camilli. Cuius remedium et finis cum per nouas religiones quaereretur, ludi scaenici tunc primum facti sunt.

Cum dies L. Manlio dicta esset a M. Pomponio tribuno pl. propter dilectum acerbe actum et T. Manlium filium rus relegatum sine ullo crimine, adulescens ipse, cuius relegatio patri obiebat, uenit in cubiculum tribuni strictoque gladio coegit eum in uerba sua iurare se non perseueraturum in accusatione.

Tunc omnia pretiosa missa sunt in praealtam uoraginem urbis Romanae. In eam Curtius armatus sedens equo praecipitauit ; et expleta est. T. Manlius adulescens, qui patrem a tribunicia uexatione uindicauerat, contra Gallum prouocantem aliquem ex militibus Romanis in singulare certamen descendit eique occiso torquem aureum detraxit, quem ipse postea tulit, et ex eo Torquatus uocatus est.

Duae tribus adiectae, Pomptina et Publilia. Licinius Stolo lege lata damnatus est, quod plus quingentis iugeribus agri possideret. M. Valerius tribunus militum Gallum, a quo prouocatus erat, insidente galeae coruo et unguibus rostroque hostem infestante occidit et ex eo Corui nomen accepit, consulque proximo anno, cum annos XXIII haberet, ob uirtutem creatus est.

Amicitia cum Carthaginensibus iuncta est.

Campani cum a Samnitibus bello urgerentur, auxilio aduersus eos a senatu petito, cum id non impetrarent, urbem et agros populo R. dederunt. Ob quam causam ea, quae populi R. facta essent, defendi bello aduersus Samnites placuit. Cum ab Aulo Cornelio cos. exercitus in locum iniquum deductus in magno discrimine esset, P. Deci Muris tribuni militum opera seruatus est. Qui occupato colle super id iugum, in quo Samnites consederant, occasionem consuli in aequiorem locum euadendi dedit ; ipse ab hostibus circumsessus erupit. Cum milites Romani, qui Capuae in praesidio relictis erant, de occupanda ea urbe conspirassent et detecto consilio metu supplicii a populo R. defecissent, per M. Valerium Coruum dictatorem, qui consilio suo eos a furore reuocauerat, patriae restituti sunt.

Res praeterea contra Hernicos et Gallos et Tiburtes et Priuernates et Tarquinienses et Samnites et Vulscos prospere gestas continet.

VIII

Latini cum Campania defecere et missis legatis ad senatum condicionem tulerunt ut si pacem habere uellent alterum ex Latinis consulem facerent. Qua legatione perlata praetor eorum Annius de Capitolio ita lapsus est ut exanimaretur.

T. Manlius consul filium, quod contra edictum eius aduersus Latinos pugnaverat, quamvis prospere pugnasset, securi percussit. Laborantibus in acie Romanis P. Decius, tunc consul cum Manlio, devovit se pro exercitu, et concitato equo cum in medios hostes se intulisset, interfectus morte sua Romanis victoriam restituit. Latini in deditionem venerunt. T. Manlio in urbem reuerso nemo ex iuuentute obviam processit.

Minucia virgo Vestalis incesti damnata est.

Ausonibus victis et oppido ex is capto Cales item Fregellae coloniae deductae sunt.

Veneficium complurium matronarum deprehensum est, ex quibus plurimae statim epotis medicaminibus perierunt. Lex de ueneficio tunc primum constituta est.

Privernatibus, cum bellissent, victis ciuitas data est. Neapolitani bello et obsidione victi in deditionem venerunt. Q. Publilio, qui eos obsederat, primo et imperium prolatum est et pro cos. triumphus decretus.

Plebs nexu liberata est propter L. Papiri creditoris libidinem, qui C. Publilio debitori suo stuprum inferre uoluerat.

Cum L. Papirius Cursor dictator reuersus in urbem ab exercitu esset propter auspicia repetenda, Q. Fabius magister equitum, occasione bene gerendae rei invitatus, contra edictum eius prospere aduersus Samnites pugnavit. Ob eam causam cum dictator de magistro equitum supplicium

sumpturus videretur, Fabius Romam profugit, et cum parum causa proficeret, populi precibus donatus est.

Res praeterea contra Samnites prospere gestas continet.

IX

T. Veturius Spurius Postumius *cos.* apud furcas Caudinas deducto in locum artum exercitu, cum spes nulla esset evadendi, foedere cum Samnitibus facto et sescentis equitibus Romanis obsidibus datis ita exercitum abduxerunt ut omnes sub iugum mitterentur; idemque auctore Spurio Postumio *cos.* qui in senatu suaserat ut eorum deditione quorum culpa tam deforme foedus ictum erat, publica fides liberaretur, cum duobus trib. pl. et omnibus qui foedus sponderant dediti Samnitibus non sunt recepti. Nec multo post fuis a Papirio Cursore Samnitibus et sub iugum missis receptisque sescentis equitibus Romanis qui obsides dati erant, pudor flagitii prioris abolitus est.

Tribus duae adiectae sunt, Oufentina et Falerna. Suessa et Pontia coloniae deductae sunt.

Ap. Claudius censor aquam perduxit; viam stravit quae Appia vocata est, libertinorum filios in senatum legit. Ideoque, quoniam is ordo indignis inquinatus videbatur, sequentis anni *cos.* senatum observaverunt, quem ad modum ante proximos censores fuerat.

Res praeterea contra Apulos et Etruscos et Umbros et Marsos et Paelignos et Aequos et Samnites, quibus foedus restitutum est, prospere gestas continet.

Cn. Flavius scriba, libertino patre natus, aedilis curulis fuit per forensem factionem creatus, quae, cum comitia et campum turbaret et in his propter nimias vires dominaretur, a Q. Fabio censore in quattuor tribus redacta est, quas urbanas appellavit; eaque res Fabio Maximo nomen dedit.

In hoc libro mentionem habet Alexandri, qui temporibus his fuit, et aestimatis populi R. viribus, quae tunc erant, colligit si Alexander in Italiam traiecisset, non tam ei victoriam de populo Romano fore quam de iis gentibus quas ad orientem imperio suo subiecerat.

Res praeterea contra Samnites prospere gestas continet.

X

Coloniae deductae sunt Sora et Alba et Carsioli. Marsi in deditionem accepti sunt.

Collegium augurum ampliatum est, ut essent nouem, cum antea quaterni fuissent.

Lex de prouocatione ad populum a Murena *cos.* tertio tunc lata est. Duae tribus adiectae sunt, Aniensis et Terentina.

Samnitibus bellum indictum est et aduersus eos saepe prospere pugnatum est.

Cum aduersus Etruscos, Umbros, Samnites, Gallos, P. Decio et Q. Fabio ducibus pugnaretur et Romanus exercitus in magno discrimine esset, P. Decius, secutus patris exemplum, deuouit se pro exercitu et morte sua uictoriam eius pugnae populo R. dedit.

Papirius Cursor Samnitium exercitum, qui de iureiurando obstrictus quo maiore constantia uirtutis pugnaret, in aciem descenderat, fudit.

Census actus est, lustrum conditum. Censa sunt ciuium capita CCLXXII milia et CCCXX

XI

Cum Fabius Gurges *cos.* male aduersus Samnites pugnasset et senatus de removendo eo ab exercitu ageret, Fabius Maximus pater deprecatus hanc filii ignominiam eo maxime senatum movit quod iturum se filio legatum pollicitus est, idque praestitit. Eius consiliis et opera filius consul adiutus

caesis Samnitibus triumphavit; C. Pontium, imperatorem Samnitium, ductum in triumpho, securi percussit.

Cum pestilentia civitas laboraret, missi legati ut Aesculapi signum Romam ab Epidauro transferrent, anguem, qui se in navem eorum contulerat in quo ipsum numen esse constabat, deportaverunt; eoque in insulam Tiberis egresso eodem loco aedis Aesculapio constituta est.

L. Postumius consularis, quoniam, cum exercitui praeesset, opera militum in agro suo usus erat, damnatus est.

Pacem petentibus Samnitibus foedus quarto renovatum est.

Curius Dentatus cos. Samnitibus caesis et Sabinis, qui rebellaverant, victis et in deditionem acceptis bis in eodem magistratu triumphavit.

Coloniae deductae sunt Castrum Sena Hadria.

Triumviri capitales tunc primum creati sunt.

Censu acto lustrum conditum est. Censa sunt civium capita | CCLXXII |.

Plebs propter aes alienum post graves et longas seditiones ad ultimum secessit in Ianiculum, unde a Q. Hortensio dictatore deducta est; isque in ipso magistratu decessit.

Res praeterea contra Vulsinienses gestas continet, item adversus Lucanos, contra quos auxilium Thurinis ferre placuerat.

XII

Cum legati Romanorum a Gallis Senonibus interfecti essent, bello ob id Gallis indicto, L. Caecilius praetor ab his cum legionibus caesus est.

Cum a Tarentinis classis Romana direpta esset, Iuuro, qui praeerat classi, occiso, legati ad eos a senatu, ut de his iniuriis quererentur, missi pulsati sunt. Ob id bellum his indictum est.

Samnites defecerunt. Aduersus eos et Lucanos et Brittios et Etruscos aliquot proeliis a compluribus ducibus bene pugnatum est.

Pyrrhus, Epirotarum rex, ut auxilium Tarentinis ferret, in Italiam uenit.

Cum in praesidium Reginorum legio Campana cum praefecto Decio Vibullio missa esset, occisis Reginis Regium occupauit.

XIII

Valerius Laeuinus cos. parum prospere aduersus Pyrrhum pugnauit, elephantorum maxime inusitata facie territis militibus. Post id proelium cum corpora Romanorum qui in acie ceciderant, Pyrrhus inspiceret, omnia uersa in hostem inuenit populabundusque ad urbem Romanam processit. C. Fabricius missus ad eum a senatu, ut de redimendis captiuis ageret, frustra ut patriam desereret a rege temptatus est. Captiui sine pretio remissi sunt. Cineas legatus a Pyrrho ad senatum missus petiit ut componendae pacis causa rex in urbem reciperetur. De qua re cum ad frequentiore senatum referri placuisset, Appius Claudius, qui propter ualetudinem oculorum iam diu consiliis publicis se abstinuerat, uenit in curiam et sententia sua tenuit ut id Pyrrho negaretur.

Cn. Domitius censor primus ex plebe lustrum condidit. Censa sunt ciuium capita CCLXXXVII milia CCXXII.

Iterum aduersus Pyrrhum dubio euentu pugnatum est.

Cum Carthaginiensibus quarto foedus renouatum est.

Cum C. Fabricio consuli is qui ad eum a Pyrrho transfugerat, polliceretur uenenum se regi daturum, cum indicio ad regem remissus est.

Res praeterea contra Lucanos et Bruttios, Samnites et Etruscos prospere gestas continet.

XIV

Pyrrhus in Siciliam traiecit.

Cum inter alia prodigia fulmine deiectum esset in Capitolio Iouis signum, caput eius per haruspices inuentum est.

Curius Dentatus cos. cum dilectum haberet, eius, qui citatus non responderat, bona primus uendidit ; iterum Pyrrhum ex Sicilia in Italiam reuersum uicit et Italia expulit.

Fabricius censor P. Cornelium Rufinum consularem senatu mouit, quod is X pondo argenti facti haberet.

Lustro a censoribus condito censa sunt ciuium capita CCLXXI milia CCXXXIII.

Cum Ptolemaeo, Aegypti rege, societas iuncta est.

Sextilia, uirgo Vestalis, damnata incesti uiua defossa est.

Coloniae deductae sunt Posidonia et Cosa.

Carthaginiensium classis auxilio Tarentinis uenit, quo facto ab his foedus uiolatum est.

Res praeterea contra Lucanos et Bruttios et Samnites feliciter gestas et Pyrrhi regis mortem continet.

XV

Victis Tarentinis pax et libertas data est.

Legio Campana, quae Regium occupauerat, obsessa deditione facta securi percussa est.

Cum legatos Apolloniatium ad senatum missos quidam iuuenes pulsassent, dediti sunt Apolloniatibus.

Picentibus uictis pax data est.

Coloniae deductae Ariminum in Piceno, Beneuentum in Samnio.

Tunc primum populus R. argento uti coepit.

Vmbri et Sallentini uicti in deditionem accepti sunt.

Quaestorum numerus ampliatus est, ut essent VIII.

XVI

Origo Carthaginiensium et primordia urbis eorum referuntur. Contra quos et Hieronem, regem Syracusanorum, auxilium Mamertinis ferendum senatus censuit, cum de ea re inter suadentes ut id fieret, dissuadentesque contentio fuisset; transgressisque tunc primum mare exercitibus Romanis aduersus Hieronem saepius bene pugnatum. Petenti pax data est.

Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt ciuium capita CCCLXXXII milia CCXXXIII.

Decimus Iunius Brutus munus gladiatorium in honorem defuncti patris primus edidit.

Colonia Aesernia deducta est.

Res praeterea contra Poenos et Vulsinios prospere gestas continet.

XVII

Cn. Cornelius consul a classe Punica circumuentus et per fraudem, ueluti in conloquium euocatus, captus est.

C. Duillius consul aduersus classem Poenorum prospere pugnavit, primusque omnium Romanorum ducum naualis uictoriae duxit triumphum.

Ob quam causam ei perpetuus quoque honos habitus est, ut reuertenti a cena tibicine canente funale praeferretur.

L. Cornelius consul in Sardinia et Corsica contra Sardos et Corsos et Hannonem, Poenorum ducem, feliciter pugnavit.

Atilius Calatinus cos. cum in locum a Poenis circumsessum temere exercitum duxisset, M. Calpurni, tribuni militum, uirtute et opera euasit, qui cum CCC militibus eruptione facta hostes in se conuerterat.

Hannibal, dux Poenorum, uicta classe cui praefuerat, a militibus suis in crucem sublatus est.

Atilius Regulus cos. uictis nauali proelio Poenis in Africam traiecit.

XVIII

Atilius Regulus in Africa serpentem portentosae magnitudinis cum magna clade militum occidit, et cum aliquot proeliis bene aduersus Carthaginienses pugnasset, successorque ei a senatu prospere bellum gerenti non mitteretur, id ipsum per litteras ad senatum scriptas questus est, in quibus inter causas petendi successoris erat quod agellus eius a mercennariis desertus esset. Quaerente deinde fortuna ut magnum utriusque casus exemplum in Regulo proderetur, accessit a Carthaginiensibus Xanthippo, Lacedaemoniorum duce, uictus proelio et captus est. Res deinde a ducibus Romanis omnibus terra marique prospere gestas deformauerunt naufragia classium.

Tib. Coruncanius primus ex plebe pontifex maximus creatus est.

M' Valerius Maximus P. Sempronius Sophus censores cum senatum legerent, XVI senatu mouerunt.

Lustrum condiderunt, quo censa sunt ciuium capita CCXCVII milia DCCXCVII.

Regulus missus a Carthaginiensibus ad senatum ut de pace et, si eam non posset impetrare, de commutandis captiuis ageret, et iureiurando adstrictus, rediturum se Carthaginem, si commutari captiuos non placuisset, utrimque negandi auctor senatui fuit, et cum fide custodita reuersus esset, supplicio a Carthaginiensibus de eo sumpto periit.

XIX

Caecilius Metellus rebus aduersus Poenos prospere gestis speciosum egit triumphum, XIII ducibus hostium et CXX elephantis in eo ductis. Claudius Pulcher cos. contra auspicia profectus - iussit mergi pullos, qui cibari nolebant - infeliciter aduersus Carthaginienses classe pugnavit, et reuocatus a senatu iussusque dictatorem dicere Claudium Gliciam dixit, sortis ultimae hominem, qui coactus abdicare se magistratu postea ludos praetextatus spectauit.

A. Atilius Calatinus primus dictator extra Italiam exercitum duxit. Commutatio captiuorum cum Poenis facta est.

Coloniae deductae sunt Fregenae, in agro Sallentino Brundisium.

Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt ciuium capita CCXLI milia CCXII.

Claudia, soror P. Claudii qui contemptis auspiciis male pugnauerat, a ludis reuertens cum turba premeretur, dixit : "utinam frater meus uiueret: iterum classem duceret." Ob eam causam multa ei dicta est.

Duo praetores tunc primum creati sunt.

Caecilius Metellus, pontifex maximus, A. Postumium consulem, quoniam idem et flamen Martialis erat, cum is ad bellum gerendum proficisci uellet, in urbe tenuit nec passus est a sacris

recedere.

Rebus aduersus Poenos a pluribus ducibus prospere gestis, summam uictoriae C. Lutatius cos. uicta ad Aegates insulas classe Poenorum imposuit.

Potentibus Carthaginiensibus pax data est.

Cum templum Vestae arderet, Caecilius Metellus, pontifex maximus, ex incendio sacra rapuit. Duae tribus adiectae sunt, Velina et Quirina.

XX

Falisci cum rebellassent, sexto die perdomiti in deditionem uenerunt.

Spoletium colonia deducta est.

Aduersus Liguras tunc primum exercitus promotus est.

Sardi et Corsi cum rebellassent, subacti sunt.

Tuccia, uirgo Vestalis, incesti damnata est.

Bellum Illyriis propter unum ex legatis, qui ad eos missi erant, occisum indictum est, subactique in deditionem uenerunt.

Praetorum numerus ampliatus est ut essent IIII.

Galli transalpini, qui in Italiam inruperant, caesi sunt. Eo bello populum R. sui Latinique nominis DCCC milia armatorum habuisse dicit. Exercitibus Romanis tunc primum trans Padum ductis Galli Insubres aliquot proeliis fusi in deditionem uenerunt. M. Claudius Marcellus cos. occiso Gallorum Insubrium duce, Vertomaro, opima spolia rettulit. Histri subacti sunt.

Iterum Illyrii cum rebellassent, domiti in deditionem uenerunt.

Lustrum a censoribus ter conditum est. Primo lustro censa sunt ciuium capita CCLXX milia CCXII.

Libertini in quattuor tribus redacti sunt, cum antea dispersi per omnes fuissent, Esquilinam, Palatinam, Suburanam, Collinam.

C. Flaminius censor uiam Flaminiam muniit et circum Flaminium exstruxit.

Coloniae deductae sunt in agro de Gallis capto Placentia et Cremona.

XXI

Belli Punici secundi ortum narrat et Hannibalis, ducis Poenorum, contra foedus per Hiberum flumen transitum. A quo Saguntum, sociorum populi R. ciuitas obsessa, octauo mense capta est. De quibus iniuriis missi legati ad Carthaginienses, qui quererentur. Cum satis facere nollent, bellum his indictum est.

Hannibal superato Pyrenaeo saltu per Gallias, fuis Volcis, qui obsistere conati erant ei, ad Alpes uenit et laborioso per eas transitu, cum montanos quoque Gallos obuios aliquot proeliis reppulisset, descendit in Italiam et ad Ticinum flumen Romanos equestri proelio fudit. In quo uulneratum P. Cornelium Scipionem protexit filius, qui Africani postea nomen accepit.

Iterumque exercitu Romano ad flumen Trebiam fuso Hannibal Apenninum quoque permagna uexatione militum propter uim tempestatum transiit.

Cn. Cornelius Scipio in Hispania contra Poenos prospere pugnavit duce hostium Magone capto.

XXII

Hannibal per continuas uigilias in paludibus oculo amisso in Etruriam uenit, per quas paludes

quadriduo et tribus noctibus sine ulla requie iter fecit.

C. Flaminius cos., homo temerarius, contra auspicia profectus signis militaribus effossis, quae tolli non poterant, et ab equo, quem conscenderat, per caput deuolutus, insidiis ab Hannibale circumuentus ad Thrasymennum lacum cum exercitu caesus est. Sex milia, quae eruperant, fide ab Atherbale data, perfidia Hannibalis uincta sunt. Cum ad nuntium cladis Romae luctus esset, duae matres ex iusperato receptis filiis gaudio mortuae sunt. Ob hanc cladem ex Sibyllinis libris uer sacrum uotum.

Cum deinde Q. Fabius Maximus dictator aduersus Hannibalem missus nollet acie cum eo conflagere, ne contra ferocem tot uictoriis hostem aduersis proeliis milites pugnare committeret, et opponendo se tantum conatus Hannibalis impediret, M. Minucius, magister equitum, ferox et temerarius, criminando dictatorem tamquam segnem et timidum effecit, ut populi iussu aequaretur ei cum dictatore imperium ; diuisoque exercitu cum iniquo loco conflixisset et in magno discrimine legiones eius essent, superueniente cum exercitu Fabio Max @rimine liberatus est. Quo beneficio uictus castra cum eo iunxit et patrem eum salutauit, idemque facere milites iussit. Hannibal uastata Campania inter Casilinum oppidum et Calliculam montem a Fabio clusus sarmentis ad cornua bouum alligatis et incensis praesidium Romanorum, quod Calliculam insidebat, fugauit et sic transgressus est saltum.

Idemque Q. Fabi Maximi dictatoris, cum circumposita uereret, agro pepercit, ut illum tamquam proditorem suspectum faceret.

Aemilio deinde Paulo et Terentio Varrone coss. et ducibus cum magna clade aduersus Hannibalem ad Cannas pugnatum est, caesaque eo proelio Romanorum XLV milia cum Paulo cos. et senatoribus XC et consularibus aut praetoriis aut aediliciis XXX.

Post quae cum a nobilibus adulescentibus propter desperationem consilium de relinquenda Italia iniretur, P. Cornelius Scipio tribunus militum, qui Africanus postea uocatus est, stricto supra capita deliberantium ferro iurauit pro hoste se habiturum eum qui in uerba sua non iurasset, effecitque ut omnes non relictum iri a se Italiam iureiurando adstringerentur.

Propter paucitatem militum VIII milia seruorum armata sunt. Captiui, cum potestas esset redimendi, redempti non sunt.

Praeterea trepidationem urbis et luctum et res in Hispania meliore euentu gestas continet.

Opimia et Florentia, uirgines Vestales, incesti damnatae sunt.

Varroni obuiam itum et gratiae actae, quod de re p. non desperasset.

XXIII

Campani ad Hannibalem defecerunt. Nuntius Cannensis uictoriae, Mago, Carthaginem missus anulos aureos corporibus occisorum detractos in uestibulo curiae effudit, quos excessisse modii mensuram traditur. Post quem nuntium Hannon, uir ex Poenis nobilibus, suadebat senatui Carthaginensium ut pacem a populo Romano peterent, nec tenuit obstrepente Barcina factione.

Claudius Marcellus praetor ad Nolam, eruptione aduersus Hannibalem ex oppido facta, prospere pugnauit.

Casilinum a Poenis obsessum ita fame uexatum est ut lora et pelles scutis detractas et mures inclusi essent. Nucibus per Vulturum amnem a Romanis missis uixerunt.

Senatu ex equestri ordine hominibus CXCVII suppletus est.

L. Postumius praetor a Gallis cum exercitu caesus est.

Cn. et P. Scipiones in Hispania Asdrubalem uicerunt et Hispaniam suam fecerunt.

Reliquiae Cannensis exercitus in Siciliam relegatae sunt, ne decederent inde nisi finito bello.

Sempronius Gracchus cos. Campanos cecidit.

Claudius Marcellus praetor Hannibalis exercitum ad Nolam proelio fudit et uicit, primusque tot

cladibus fessis Romanis meliorem spem belli dedit.

Inter Philippum, Macedoniae regem, et Hannibalem societas iuncta est.

Praeterea in Hispania feliciter a Publio et Cn. Scipionibus, in Sardinia a T. Manlio praetore aduersus Poenos res gestas continet, a quibus Hasdrubal dux et Mago et Hanno capti.

Exercitus Hannibalis per hiberna ita luxuriatus est ut corporis animique uiribus eneruaretur.

XXIV

Hieronimus, Syracusanorum rex, cuius pater Hiero amicus populi R. fuerat, ad Carthaginiensis defecit et propter crudelitatem superbiamque a suis interfectus est.

Tib. Sempronius Gracchus procos. prospere aduersus Poenos et Hannonem ducem ad Beneuentum pugnavit seruorum maxime opera, quos liberos esse iussit. Claudius Marcellus cos. in Sicilia, quae prope tota ad Poenos defecerat, Syracusas obsedit.

Philippo, Macedonum regi, bellum indictum est, qui ad Apolloniam nocturno bello obpressus fugatusque Macedoniam cum prope inermi exercitu profugit. Ad id bellum gerendum M. Valerius praetor missus.

Res praeterea in Hispania a P. et Cn. Scipionibus aduersus Carthaginienses gestas continet. A quibus Syphax, rex Numidiae, in amicitiam adscitus, qui a Masinissa, Massyliorum rege, pro Carthaginiensibus pugnante, uictus in Hispaniam ad Scipionem cum magna manu transiit contra Gades, ubi angusto freto Africa et Hispania dirimuntur.

Celtiberi quoque in amicitiam recepti sunt. Quorum auxiliis adscitis tunc primum mercennarium militem Romana castra habuerunt.

XXV

P. Cornelius Scipio, postea Africanus, ante annos aedilis factus.

Hannibal urbem Tarenton praeter arcem, in quam praesidium Romanorum fugerat, per Tarentinos iuuenes, qui se noctu uenatum ire simulabant, cepit.

Ludi Apollinares ex Marci carminibus, quibus Cannensis clades praedicta fuerat, instituti sunt.

A Q. Fuluius et Ap. Claudio coss. aduersus Hannonem, Poenorum ducem, prospere pugnatum est.

Tib. Sempronius Gracchus procos. ab hospite suo Lucano in insidias deductus a Magone interfectus est.

Centenius Paenula, qui centurio militauerat, cum petisset a senatu ut sibi exercitus daretur pollicitusque esset, si hoc impetrasset, de Hannibale uictoriam, VIII milibus acceptis militum dux factus confligit acie cum Hannibale et cum exercitu caesus est.

Capua obsessa est a Q. Fuluius et Ap. Claudio coss.

Cn. Puluilis praetor male aduersus Hannibalem pugnavit. In quo proelio XX milia hominum ceciderunt ; ipse cum equitibus CC effugit.

Claudius Marcellus Syracusas expugnauit tertio anno et ingentem uirum gessit. In eo tumultu captae urbis Archimedes intentus formis, quas in puluere descripserat, interfectus est.

P. et Cn. Scipiones in Hispania tot rerum feliciter gestarum tristem exitum tulerunt, prope cum totis exercitibus caesi anno octauo quam in Hispaniam ierunt. Amissaque eius prouinciae possessio foret, nisi L. Marci, equitis Romani, uirtute et industria contractis exercituum reliquiis, eiusdem hortatu bina castra hostium expugnata essent.

Ad XXVII milia hominum caesa, captos ad mille octingentos triginta, praeda ingens capta. "Dux" Marcius appellatus est.

XXVI

Hannibal ad tertium lapidem ab urbe Roma super Anienem castra posuit. Ipse cum duobus milibus equitum usque ad ipsam Capenam portam, ut situm urbis exploraret, obequitauit. Et cum per triduum in aciem utrimque exercitus omnis descendisset, certamen tempestas diremit; nam cum in castra redisset, statim serenitas erat.

Capua capta est a Q. Fulvio et Appio Claudio coss. Principes Campanorum ueneno sibi mortem consciuerunt. Cum senatus Campanorum deligatus esset ad palos ut securi feriretur, litteras a senatu missas Q. Fulvius consul, quibus iubebatur parcere, antequam legeret, in sinu posuit et lege agi iussit et supplicium peregit.

Cum comitiis apud populum quaereretur cui mandaretur Hispaniarum imperium, nullo id uolente suscipere, P. Scipio, P. filius eius qui in Hispania ceciderat, professus est se iturum, et suffragio populi consensuque omnium missus Nouam Carthaginem expugnauit, cum haberet annos XXIII uidereturque diuina stirpe, quia et ipse, postquam togam acceperat, cotidie in Capitolio erat et in cubiculo matris eius anguis saepe uidebatur.

Res praeterea gestas in Sicilia continet et amicitiam cum Aetolis iunctam bellumque gestum aduersus Acarnanas et Philippum, Macedoniae regem.

XXVII

Cn. Fulvius procos. cum exercitu ab Hannibale ad Herdoneam caesus est.

Meliore euentu ab Claudio Marcello cos. aduersus eundem ad Numistroneum pugnatum est. Inde Hannibal nocte recessit. Marcellus iusecutus est et subinde cedentem pressit, donec confligeret. Priore pugna Hannibal superior, sequenti Marcellus.

Fabius Maximus pater cos. Tarentinos per prodicionem recepit.

Claudius Marcellus T. Quintius Crispinus coss. speculandi causa progressi e castris insidiis ab Hannibale circumuenti sunt. Marcellus occisus, Crispinus fugit.

Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt ciuium capita CXXXVII milia CVIII; ex quo numero apparuit quantum hominum tot proeliorum aduersa fortuna populo R. abstulisset.

In Hispania ad Baeculam Scipio cum Hasdrubale et Hamilcare conflixit et uicit. Inter alia captum regalem puerum eximiae formae ad auunculum Masinissam cum donis dimisit.

Hasdrubal, qui cum exercitu nouo Alpes transcenderat ut se Hannibali iungeret, cum milibus hominum LVI caesus est, capta V milia CCCC M. Liui cos. ductu, sed non minore opera Claudi Neronis cos., qui, cum Hannibali oppositus esset, relictis castris ita ut hostem falleret, cum electa manu profectus Hasdrubalem circumuenerat.

Res praeterea feliciter a P. Scipione in Hispania et a P. Sulpicio praetore aduersus Philippum et Achaeos gestas continet.

XXVIII

Res in Hispania prospere gestae a Silano, Scipionis legato, et ab L. Scipione fratre aduersus Poenos, a P. Sulpicio procos. socio Attalo rege Asiae aduersus Philippum, regem Macedonum, pro Aetolis referuntur.

Cum M. Liuius et Claudio Neroni coss. triumphus decretus esset, Liuius, qui in prouincia sua rem gesserat, quadrigis inuectus est, Nero, qui in collegae prouinciam, ut uictoriam eius adiuuaret,

uenerat, equo secutus est, et in hoc habitu plus gloriae reuerentiaque habuit; nam et plus in bello quam collega fecerat.

Ignis in aede Vestae negligentia uirginis quae non custodierat, extinctus est; caesa est flagro.

P. Scipio in Hispania cum Poenis debellauit XIII anno eius belli, quinto post anno quam ierat, praeculisque in totum possessione prouinciae eius hostibus Hispanias recepit; et a Tarracone in Africam ad Syphacem, regem Massylorum, transuctus foedus iunxit. Hasdrubal Gisgonis ibi cum eo in eodem lecto cenauit. Munus gladiatorium in honorem patris patruisque Carthagini noua edidit, non ex gladiatoribus, sed ex his qui aut in honorem ducis aut ex prouocatione descendebant; in quo reguli fratres de regno ferro contenderunt.

Cum Gisia urbs obpugnaretur, oppidani liberos et coniuges rogo extracto occiderunt et se iusuper praecipitauerunt.

Ipsa Scipio, dum graui morbo implicatus est, seditionem in parte exercitus motam, confirmatus discussit rebellantesque Hispaniae populos coegit in deditionem uenire. Et amicitia facta cum Masinissa, rege Numidarum, qui illi auxilium, si in Africam traiecisset, pollicebatur, cum Gaditanis quoque post discessum inde Magonis, cui Carthagine scriptum erat ut in Italiam traiceret, Romam reuersus consulque creatus.

Africam prouinciam petenti, contradicente Q. Fabio Maximo, Sicilia data est permissumque ut in Africam traiceret, si id e re p. esse censeret. Mago, Hamilcaris filius, a minore Baleari insula, ubi hiemauerat, in Italiam traiecit.

XXIX

Ex Sicilia C. Laelius in Africam a Scipione missus ingentem praedam reportauit et mandata Masinissae Scipioni exposuit querentis quod nondum exercitum in Africam traiecisset.

Bellum in Hispania finitum uictore Romano, quod Indebilis excitauerat; ipse in acie occisus, Mandonius exposcentibus Romanis a suis deditus. Magoni, qui Albingauni in Liguribus erat, ex Africa et militum ampla manus missa et pecuniae, quibus auxilia conduceret, praeceptumque ut se Hannibali coniungeret.

Scipio a Syracusis in Bruttios traiecit et Locros pulso Punico praesidio fugatoque Hannibale recepit.

Pax cum Philippo facta est.

Mater Idaea deportata est Romam a Pessinunte, oppido Phrygiae, carmine in libris Sibyllinis inuento: pelli Italia alienigenam hostem posse, si mater Idaea deportata Romam esset. Tradita est autem Romanis per Attalum, regem Asiae. Lapis erat, quem matrem deum incolae dicebant. Excepit P. Scipio Nasica Cn. filius, eius qui in Hispania perierat, uir optimus a senatu iudicatus, adulescens nondum quaestorius, quoniam ita responsum iubebat ut id numen ab optimo uiro exciperetur consecrareturque.

Locrenses legatos Romam miserunt, qui de impotentia Plemini legati quererentur, qui pecuniam Proserpinae sustulerat et liberos eorum ac coniuges stuprauerat. In catenis Romam perductus in carcere est mortuus. Cum falsus rumor de P. Scipione procos., qui in Sicilia erat, in urbem perlatus esset, tamquam is luxuriaretur, missis ob hoc legatis a senatu qui explorarent an ea uera essent, purgatus infamia Scipio in Africam permissu senatus traiecit.

Syphax, accepta in matrimonium filia Hasdrubalis Gisgonis, amicitiam quam cum Scipione iunxerat, renuntiauit.

Masinissa, rex Massylorum, dum pro Carthaginensibus in Hispania militat, amisso patre Gala de regno exciderat. Quo per bellum saepe repetito aliquot proeliis a Syphace, rege Numidarum, uictus in totum priuatus est, et cum CC equitibus exsul Scipioni se iunxit et cum eo primo statim bello Hannonem, Hamilcaris filium, cum ampla manu occidit. Scipio aduentu Hasdrubalis et

Syphacis, qui prope cum centum milibus armatorum uenerant, ab obsidione Vticae depulsus hiberna communiit.

Sempronius cos. in agro Crotoniensi prospere aduersus Hannibalem pugnavit.

Inter censores M. Liuium et Claudium Neronem notabilis discordia fuit. Nam et Claudius collegae equum ademit, quod a populo damnatus actusque in exilium fuerat, et Liuius Claudio, quod falsum in se testimonium dixisset et quod non bona fide secum in gratiam redisset. Idem omnes tribus extra unam aerarias reliquit, quod et innocentem se damnasset et posthac consulem censoremque fecissent.

Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt ciuium capita CCXIII milia.

XXX

Scipio in Africa Carthaginenses et eundem Syphacem, Numidiae regem, Hasdrubalemque pluribus proeliis uicit adiuuante Masinissa, bina hostium castra expugnauit, in quibus XL milia hominum ferro ignique consumpta sunt.

Syphacem per C. Laelium et Masinissam cepit.

Masinissa Sophonibam, uxorem Syphacis, filiam Hasdrubalis, captam statim adamauit et nuptiis factis uxorem habuit; castigatus a Scipione uenenum ei misit, quo illa hausto decessit.

Effectumque multis Scipionis uictoriis ut Carthaginenses in desperationem acti in auxilium publicae salutis Hannibalem euocarent. Isque anno XVI Italia decedens in Africam traiecit temptauitque per conloquium pacem cum Scipione componere, et cum de condicionibus pacis non conuenisset, acie uictus est. Pax Carthaginensibus petentibus data est. Hannibal Gisgonem pacem dissuadentem manu sua detraxit, excusata deinde temeritate facti ipse pacem suasit.

Masinissae regnum restitutum est.

Reuersus in urbem Scipio amplissimum nobilissimumque egit triumphum, quem Q. Terentius Culleo senator pilleatus secutus est. Scipio Africanus incertum militari prius fauore am populari aura ita cognominatus sit. Primus certe hic imperator uictae nomine a se gentis nobilitatus est.

Mago bello quo in agro Insubrum cum Romanis conflixerat uulneratus, dum in Africam per legatos reuocatis reuertitur, ex uulnere mortuus est.

XXXI

Belli aduersus Philippum, Macedoniae regem, quod intermissum erat, repetiti causae referuntur hae: tempore initiorum duo iuuenes Acarnanes, qui non erant initiati, Athenas uenerunt et in sacrarium Cereris cum aliis popularibus suis intrauerunt. Ob hoc, tamquam summum nefas commisissent, ab Atheniensibus occisi sunt. Acarnanes mortibus suorum commoti ad uindicandos illos auxilia a Philippo petierunt et Athenas obpugnauerunt, Athenienses auxilium a Romanis petierunt post pacem Carthaginensibus datam paucis mensibus. Cum Atheniensium, qui a Philippo obsidebantur, legati auxilium a senatu petissent, et id senatus ferendum censuisset plebe, quod tot bellorum continuus labor grauis erat, dissentiente, tenuit auctoritas patrum ut sociae ciuitati ferri opem populus quoque iuberet.

Id bellum P. Sulpicio cos. mandatum est qui exercitu in Macedoniam ducto equestribus proeliis prospere cum Philippo pugnavit. Aboedeni a Philippo obsessi ad exemplum Saguntinorum suos seque occiderunt.

L. Furius praetor Gallos Insubres rebellantes et Hamilcarem Poenum bellum in ea parte Italiae molientem acie uicit. Hamilcar eo bello occisus est et milia hominum XXXV.

Praeterea expeditiones Philippi regis et Sulpici cos. expugnationesque urbium ab utroque factas

continet. Sulpicius cos. bellum gerebat adiuuantibus rege Attalo et Rhodiis.

Triumphauit de Gallis L. Furius praetor.

XXXII

Complura prodigia ex diuersis regionibus nuntiata referuntur, inter quae in Macedonia in puppe longae nauis lauream esse natam. T. Quintius Flamininus cos. aduersus Philippum feliciter pugnauit in faucibus Epiri fugatumque coegit in regnum reuerti. Ipse Thessaliam, quae est uicina Macedoniae, sociis Aetolis et Athamanibus uexauit, L. Quintius Flamininus, frater consulis, nauali proelio Attalo rege et Rhodiis adiuuantibus Euboeam et maritimam oram. Achaei in amicitiam recepti sunt.

Praetorum numerus ampliatus est, ut seni crearentur. Coniuratio seruorum facta de soluendis Carthaginiensium obsidibus oppressa est, duo milia D necati.

Cornelius Cethegus cos. Gallos Insubres proelio fudit.

Cum Lacedaemoniis et tyranno eorum Nabide amicitia iuncta est.

Praeterea expugnationes urbium in Macedonia referuntur.

XXXIII

T. Quintius Flamininus procos. cum Philippo ad Cynoscephalas in Thessalia acie uicto debellauit. L. Quintius Flamininus, ille frater procos., Acarnanas, Leucade urbe quod caput est Acarnanum expugnata, in deditionem accepit.

Pax petenti Philippo Graecia liberata data est.

Attalus ab Thebis ob subitam uoletudinem Pergamum translatus decessit.

C. Sempronius Tuditanus praetor ab Celtiberis cum exercitu caesus est.

L. Furius Purpurio et Claudius Marcellus coss. Boios et Insubres Gallos subegerunt.

Marcellus triumphauit.

Hannibal frustra in Africa bellum molitus et ob hoc Romanis per epistulas ab aduersae factionis principibus delatus propter metum Romanorum, qui legatos ad senatum Carthaginiensium de eo miserant, profugus ad Antiochum, Syriae regem, se contulit bellum aduersus Romanos parantem.

XXXIV

Lex Oppia, quam C. Oppius trib. pl. bello Punico de finiendis matronarum cultibus tulerat, cum magna contentione abrogata est, cum Porcius Cato auctor fuisset ne ea lex aboleretur.

Is in Hispaniam profectus bello, quod Emporiis orsus est, citeriorem Hispaniam pacauit.

T. Quintius Flamininus bellum aduersus Lacedaemonios et tyrannum eorum, Nabidem, prospere gestum data his pace, qualem ipse uolebat, liberatisque Argis, qui sub ditione tyranni erant, finiit.

Res praeterea in Hispania et aduersus Boios et Insubres Gallos feliciter gestae referuntur.

Senatus tunc primum secretus a populo ludos spectauit. Id ut fieret, Sextus Aelius Paetus et C. Cornelius Cethegus censores interuenerunt cum indignatione plebis.

Coloniae plures deductae sunt.

M. Porcius Cato ex Hispania triumphauit.

T. Quintius Flamininus, qui Philippum, Macedonum regem, et Nabidem, Lacedaemoniorum tyrannum uicerat Graeciamque omnem liberauerat, ob hoc triduo triumphauit.

Legati Carthaginiensium nuntiauerunt Hannibalem, qui ad Antiochum confugerat, bellum cum

eo moliri. Temptauerat autem Hannibal per Aristonem Tyrium sine litteris Carthaginem missum ad bellandum Poenos concitare.

XXXV

P. Scipio Africanus legatus ad Antiochum missus Ephesi cum Hannibale, qui se Antiocho adiunxerat, conlocutus est, ut si fieri posset, metum ei, quem ex populo R. conceperat, eximeret. Inter alia cum quaereret quem fuisse maximum imperatorem Hannibal crederet, respondit Alexandrum, Macedonum regem, quod parua manu innumerabiles exercitus fudisset quodque ultimas oras, quas uisere supra spem humanam esset, peragrasset. Quaerenti deinde, quem secundum poneret, Pyrrhum, inquit, castra metari primum docuisse, ad hoc neminem loca elegantius cepisse, praesidia disposuisse. Exsequenti, quem tertium diceret, semet ipsum dixit. Ridens Scipio: "quidnam tu diceres, inquit, si me uicisses?" "Tunc vero me, inquit, et ante Alexandrum et ante Pyrrhum et ante alios posuissem."

Inter alia prodigia, quae plurima fuisse traduntur, bouem Cn. Domitii cos. locutam "Roma caue tibi" refertur.

Nabis, Lacedaemoniorum tyrannus, incitatus ab Aetolis, qui et Philippum et Antiochum ad inferendum bellum populo R. sollicitabant, a populo R. desciiuit, sed bello aduersus Philopoemenem, Achaeorum praetorem, gesto ab Aetolis interfectus est. Aetoli quoque ab amicitia populi R. defecerunt. Cum societate iuncta Antiochus, Syriae rex, bellum Graeciae intulisset, complures urbes occupauit, inter quas Chalcidem et totam Euboeam.

Res praeterea in Liguribus gestas et apparatus belli ab Antiocho continet.

XXXVI

Acilius Glabrio cos. Antiochum ad Thermopylas Philippo rege adiuuante uictum Graecia expulit idemque Aetolos subegit.

P. Cornelius Scipio Nasica cos. aedem matris deum, quam ipse in Palatium intulerat, uir optimus a senatu iudicatus, dedicauit. Idemque Boios Gallos uictos in deditionem accepit, de his triumphauit.

Praeterea naualia certamina prospera aduersus praefectos Antiochi regis referuntur.

XXXVII

L. Cornelius Scipio cos. legato Scipione Africano fratre (qui se legatum fratris futurum dixerat, si ei Graecia prouincia decerneretur, cum C. Laelio, qui multum in senatu poterat, ea prouincia dari uideretur) profectus ad bellum aduersus Antiochum regem gerendum, primus omnium Romanorum ducum in Asiam traiecit.

Regillus aduersus regiam classem Antiochi feliciter pugnavit ad Myonnesum Rhodiis iuuantibus.

Filius Africani captus ab Antiocho patri remissus est. Victo deinde Antiocho ab L. Cornelio Scipione adiuuante Eumene, rege Pergami, Attali filio, pax data est ea condicione ut omnibus prouinciis citra Taurum montem cederet. L. Cornelius Scipio, qui cum Antiocho debellauerat, cognomine fratri exaequatus Asiaticus appellatus.

Colonia deducta est Bononia.

Eumenis, quo iuuante Antiochus nictus erat, regnum ampliatum. Rhodiis quoque, qui et ipsi

iuuerant, quaedam ciuitates concessae.

Aemilius Regillus, qui praefectos Antiochi nauali proelio deuicerat, naualem triumphum deduxit. M'. Acilius Glabrio de Antiocho, quem Graecia expulerat, et de Aetolis triumphauit.

XXXVIII

M. Fuluius cos. in Epiro Ambracienses obsessos in deditionem accepit, Cephalloniam subegit, Aetolis perdomitis pacem dedit.

Cn. Manlius cos., collega eius, Gallograecos, Tolostobogios et Tectosagos et Trocmos, qui Brenno duce in Asiam transierant, cum soli citra Taurum montem non apparerent, uicit. Eorum origo, et quo modo ea loca, quae tenent, occupauerint, refertur.

Exemplum quoque uirtutis et pudicitiae in femina traditur. Quae cum regis Gallograecorum uxor fuisset, capta centurionem, qui ei uim intulerat, occidit.

Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt ciuium capita CCLVIII milia CCCX.

Cum Ariarathe, Cappadociae rege, amicitia iuncta est.

Cn. Manlius contradicentibus X legatis, ex quorum consilio foedus cum Antiocho conscripserat, de Gallograecis acta pro se in senatu causa triumphauit.

Scipio Africanus die ei dicta, ut quidam tradunt a Q. Petilio tr. pl., ut quidam a Naeuio, quod praeda ex Antiocho capta aerarium fraudasset, postquam is dies uenit, euocatus in rostra: "hac die, inquit, Quirites, Carthaginem uici", et prosequente populo Capitolium escendit. Inde ne amplius tribuniciis iniuriis uexaretur, in uoluntarium exilium Liternum concessit. Incertum ibi an Romae defunctus sit; nam monumentum eius utrobique fuit.

L. Scipio Asiaticus, frater Africani, eodem crimine peculatus accusatus damnatusque cum in uincula et carcerem duceretur, Tib. Sempronius Gracchus tr. pl., qui antea Scipionibus inimicus fuerat, intercessit et ob id beneficium Africani filiam duxit.

Cum quaestores in bona eius publice possidenda missi essent, non modo in his ullum uestigium pecuniae regiae apparuit, sed ne quaquam tantum redactum, quantae summae erat damnatus. Conlatam a cognatis et amicis innumerabilem pecuniam accipere noluit; quae necessaria ei erant ad cultum, redempta.

XXXIX

M. Aemilius cos. Liguribus subactis uiam Placentia usque Ariminum productam Flaminia iunxit.

Initia luxuriae in urbem introducta ab exercitu Asiatico referuntur.

Ligures, quicumque citra Appenninum erant, subacti sunt.

Bacchanalia, sacrum Graecum et nocturnum, omnium scelerum seminarium, cum ad ingentis turbae coniurationem peruenisset, inuestigatum et multorum poena sublatum est.

A censoribus L. Valerio Flacco et M. Porcio Catone, et belli et pacis artibus maximo, motus est senatu L. Quintius Flamininus, T. frater, eo quod, cum Galliam prouinciam consul obtineret, rogatus in conuiuio a Poeno Philippo, quem amabat, scorto nobili, Gallum quemdam sua manu occiderat siue, ut quidam tradiderunt, unum ex damnatis securi percusserat rogatus a meretrice Placentina, cuius amore deperibat. Extat oratio M. Catonis in eum.

Scipio Literni decessit et, tamquam iungente fortuna circa idem tempus duo funera maximorum uirorum, Hannibal a Prusia, Bithyniae rege, ad quem uicto Antiocho confugerat, cum dederetur Romanis, qui ad exposcendum eum T. Quintium Flamininum miserant, ueneno mortem consciit. Philopoemen quoque, dux Achaeorum, uir maximus, a Messeniis occisus ueneno, cum ab his in bello captus esset.

Coloniae Potentia et Pisaurum et Mutina et Parma deductae sunt.

Praeterea res aduersus Celtiberos prospere gestas et initia causasque belli Macedonici continet. Cuius origo inde fluxit, quod Philippus aegre ferebat regnum suum a Romanis inminui et quod cogeretur a Thracibus alisque locis praesidia deducere.

XL

Cum Philippus liberos eorum quos in uinculis habebat nobilium hominum conquiri ad mortem iussisset, Theoxena, uerita pro liberis suis admodum pueris regis libidinem, prolatis in medium gladiis et poculo in quo uenenum erat, suavitatis ut imminens ludibrium morte effugerent et cum persuasisset, et ipsa se interemit.

Certamina inter filios Philippi, Macedoniae regis, Persen et Demetrium, referuntur; et ut fraude fratris sui Demetrius fictis criminibus, inter quae accusatione parricidii et adfectati regni, primum petitus, ad ultimum, quoniam populi R. amicus erat, ueneno necatus est, regnumque Macedoniae mortuo Philippo ad Persen uenit.

Item res in Liguribus et Hispania contra Celtiberos a compluribus ducibus feliciter gestas continet.

Colonia Aquileia deducta est.

Libri Numae Pompili in agro L. Petilli scribae sub Ianiculo a cultoribus agri arca lapidea clusi inuenti sunt et Graeci et Latini.

In quibus cum pleraque dissoluendarum religionum praetor, ad quem delati erant, legisset, iurauit senatui contra rem p. esse ut legerentur seruarenturque. Ex S. C. in comitio exusti sunt.

Philippus aegritudine animi confectus, quod Demetrium filium falsis Persei, alterius filii, in eum delationibus impulsus ueneno sustulisset, et de poena Persei cogitauit uoluitque Antigonom potius, amicum suum, successorem regni sui relinquere, sed in hac cogitatione morte raptus est. Perseus regnum excepit.

XLI

Ignis in aede Vestae extinctus est.

Tib. Sempronius Gracchus procos. Celtiberos uictos in deditionem accepit, monumentumque operum suorum Gracchurim, oppidum in Hispania, constituit. Et a Postumio Albino procos. Vaccae ac Lusitani subacti sunt. Vterque triumphauit.

Antiochus, Antiochi filius, obses a patre Romanis datus, mortuo fratre Seleuco qui patri defuncto successerat, in regnum Syriae ab urbe dimissus. Qui praeter religionem, qua multa templa magnifica multis sociis fecit, Athenis Iouis Olympi et Antiochiae Capitolini, uilissimum regem egit. Lustrum a censoribus conditum est.

Censa sunt ciuium capita CCLVIII milia CCXCIII.

Q. Voconius Saxa tr. pl. legem tulit, nequis mulierem heredem institueret.

Suasit legem M. Cato. Extat oratio eius.

Praeterea res aduersus Liguras et Histros et Sardos et Celtiberos a compluribus ducibus prospere gestas et initia belli Macedonici continet, quod Perseus, Philippi filius, moliebatur. Miserat ad Carthaginienses legationem et ab his nocte audita erat. Sed et alias Graeciae ciuitates sollicitabat.

XLII

Q. Fulvius Flaccus censor templum Iunonis Lacinae tegulis marmoreis spoliavit, ut aedem, quam dedicabat, tegeret. Tegulae ex S. C. reportatae. Eumenes, Asiae rex, in senatu de Perseo, Macedoniae rege, questus est, cuius iniuriae in populum R. referuntur. Ob quas bello ei indicto P. Licinius Crassus cos., cui mandatum erat, in Macedoniam transiit leuibusque expeditionibus, equestribus proeliis, in Thessalia cum Perseo [felici] euentu pugnavit.

Inter Masinissam et Carthaginienses de agro fuit lis. Dies his a senatu ad disceptandum datus.

Legati missi ad socias ciuitates regesque rogandos ut in fide permanerent, dubitantibus Rhodiis.

Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt ciuium capita CCLXVII milia CCXXXI.

Res praeterea aduersus Corsos et Liguras prospere gestas continet.

XLIII

Praetores aliquot eo quod auare et crudeliter prouincias administrauerant, damnati sunt.

P. Licinius Crassus procos. complures in Graecia urbes expugnauit et crudeliter corripuit. Ob id captiui qui ab eo sub corona uenerant ex S. C. postea restituti sunt. Item a praefectis classium Romanarum multa impotenter in socios facta.

Res a Perse rege in Thracia prospere gestas continet uictis Dardanis et Illyrico, cuius rex erat Gentius.

Motus, qui in Hispania ab Olonico factus erat, ipso interempto consedit.

M. Aemilius Lepidus a censoribus princeps senatus lectus.

XLIV

Q. Marcius Philippus per inuios saltus penetrauit Macedoniam et complures urbes occupauit.

Rhodi miserunt legatos Romam minantes ut Perseo auxilio essent, nisi populus R. cum illo pacem atque amicitiam iungeret. Indigne id latum. Cum id bellum L. Aemilio Paulo, sequentis anni cos. iterum mandatum esset, Paulus in contione precatus ut, quidquid diri populo R. immineret, in suam domum conuerteretur, et in Macedoniam profectus uicit Persen totamque Macedoniam in potestatem redegit. Antequam confligeret, praedixit exercitui ne miraretur quod luna proxima nocte defectura erat.

Gentius quoque, rex Illyricorum, cum rebellasset, a L. Anicio praetore uictus uenit in deditionem et cum uxore ac liberis et propinquis Romam missus.

Legati Alexandrini a Cleopatra et Ptolemaeo regibus uenerunt querentes de Antiocho, rege Syriae, quod is bellum inferret.

Perseus sollicitatis in auxilium Eumene, rege Pergami, et Gentio, rege Illyricorum, quia iis pecuniam quam promiserat non dabat, relictus ab his est.

XLV

Perseus ab Aemilio Paulo in Samothace captus est.

Cum Antiochus, Syriae rex, Ptolemaeum et Cleopatram, Aegypti reges, obsideret et missis ad eum a senatu legatis, qui iuberent ab solo regis absisteret, editisque mandatis consideraturum se quid faciendum esset respondisset, unus ex legatis Popilius uirga regem circumscripsit iussitque, ante quam circulo excederet, responsum daret. Qua asperitate effecit ut Antiochus bellum omitteret.

Legationes gratulantium populorum atque regum in senatu admissae, Rhodiorum, qui eo bello contra populum R. fauerant, exclusa. Postera die cum de eo quaereretur ut his bellum indiceretur, causam in senatu patriae suae legati egerunt; nec tamquam socii, nec tamquam hostes dimissi.

Macedonia in prouinciae formam redacta Aemilius Paulus repugnantibus militibus ipsius propter minorem praedam et contradicente Seruio Sulpicio Galba triumphauit et Persen cum tribus filiis duxit ante currum. Cuius triumphii laetitia ne solida ei contingeret, duorum filiorum funeribus insignita est, quorum alterius mors triumphum patris praecessit, alterius secuta est.

Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt ciuium capita CCCXII milia DCCCXV.

Prusias, Bithyniae rex, Romam, ut senatui gratias ageret ob uictoriam ex Macedonia partam, uenit et Nicomedem filium senatui commendauit. Rex plenus adulationis libertum se populi R. dicebat.

XLVI

Eumenes rex Romam uenit, qui Macedonico bello medium egerat. Ne aut hostis iudicatus uideretur, si exclusus esset, aut liberatus crimine, si admitteretur, in commune lex lata est ne cui regi Romam uenire liceret. Claudius Marcellus cos. Alpinos Gallos, C. Sulpicius Gallus cos. Liguras subegit.

Legati Prusiae regis questi sunt de Eumene quod fines suos popularetur dixeruntque eum conspirasse cum Antiocho aduersus populum R. Societas cum Rhodiis deprecantibus iuncta est.

Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt ciuium capita CCCXXXVII milia XXII.

Princeps senatus M. Aemilius Lepidus.

Ptolemaeus, Aegypti rex, pulsus regno a minore fratre missis ad eum legatis restitutus est.

Ariarathe, Cappadociae rege, mortuo filius eius Ariarathes regnum accepit et amicitiam cum populo R. per legatos renouauit.

Res praeterea aduersus Liguras et Corsos et Lusitanos uario euentu gestas et motus Syriae mortuo Antiocho, qui filium Antiochum puerum admodum reliquerat, continet. Hunc Antiochum puerum cum Lysia tutore Demetrius, Seleuci filius, qui Romae obses fuerat, clam, quia non dimittebatur, a Roma . . . interemit et ipse in regnum receptus.

L. Aemilius Paulus, qui Persen uicerat, mortuus. Cuius tanta abstinentia fuit ut cum ex Hispania et ex Macedonia immensas opes rettulisset, uix ex auctione eius redactum sit, unde uxori eius dos solueretur.

Pomptinae paludes a Cornelio Cethego cos., cui ea prouincia euenerat, siccatae agerque ex his factus.

XLVII

Cn. Tremellio pr. multa dicta est, quod cum M. Aemilio Lepido, pontifice maximo, iniuriose contenderat sacrorumque quam magistratum ius potentius fuit.

Lex de ambitu lata.

Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt ciuium capita CCCXVIII milia CCCXVI.

Princeps senatus lectus Aemilius Lepidus.

Inter Ptolemaeos fratres, qui dissidebant, foedus ictum, ut alter Aegypto, alter Cyrenis regaret.

Ariarathes, Cappadociae rex, consilio Demetri, Syriae regis, et uiribus pulsus regno a senatu restitutus est.

Missi a senatu qui inter Masinissam et Carthaginienses de agro iudicarent.

C. Marcius cos. aduersus Dalmatas primum parum prospere, postea feliciter pugnavit. Cum quibus bello confligendi causa fuit quod Illyrios, socios populi R., uastauerant eandemque gentem

Cornelius Nasica cos. domuit. Q. Opimius cos. Transalpinos Liguras, qui Massiliensium oppida, Antipolim et Nicaeam, uastabant, subegit.

Praeterea res in Hispania a compluribus parum prospere gestas continet.

Consules anno quingentesimo nonagesimo octauo ab urbe condita magistratum kal. ian. inire coeperunt. Mutandi comitia causa fuit quod Hispani rebellabant.

Legati ad disceptandum inter Carthaginienses et Masinissam missi nuntiauerunt uim naualis materiae se Carthagine deprehendisse. Aliquot praetores a prouinciis auaritiae nomine accusati damnati sunt.

XLVIII

Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt ciuium capita CCCXXIII milia.

Semina tertii Punici belli referuntur. Cum in finibus Carthaginiensium ingens Numidarum exercitus duce Arcobarzane, Syphacis nepote, diceretur esse, M. Porcius Cato suasit ut Carthaginiensibus, qui exercitum specie contra Masinissam, re contra Romanos accitum in finibus haberent, bellum indiceretur. Contra dicente P. Cornelio Nasica placuit legatos mitti Carthaginem, qui specularentur quid ageretur. Castigato senatu Carthaginiensium, quod contra foedus et exercitum et nauales materias haberent, pacem inter eos et Masinissam facere uoluerunt, Masinissa agro, de quo lis erat, cedente. Sed Gisgo, Hamilcaris filius, homo seditiosus, qui tum in magistratu erat, cum senatus pariturum se iudicio legatis dixisset, ita populum concitauit bellum aduersus Romanos suadendo, ut legatos, quo minus uiolarentur, fuga explicuerit. Id nuntiantes infestum iam senatum Carthaginiensibus infestorem fecerunt.

M. Porcius Cato filii in praetura mortui funus tenuissimo ut potuit (nam pauper erat) sumptu fecit.

Andriscus, qui se Persei filium, regis quondam Macedoniae, ingenti adseueratione mentiretur, Romam missus.

M. Aemilius Lepidus, qui princeps senatus sextis iam censoribus lectus erat, antequam expiraret, praecepit filiis lecto se strato linteis sine purpura efferrent, in reliquum funus ne plus quam aeris decies consumerent: imaginum specie, non sumptibus nobilitari magnorum uirorum funera solere.

De ueneficiis quaesitum: Publilia et Licinia, nobiles feminae, quae uiros suos consulares necasse insimulabantur, cognita causa, cum praetori praedes uades dedissent, cognatorum decreto necatae sunt.

Gulussa, Masinissae filius, nuntiauit Carthagine dilectus agi, classem comparari et haud dubie bellum strui. Cum Cato suaderet ut his bellum indiceretur, P. Cornelio Nasica dicente nihil temere faciendum, placuit X legatos mitti exploratum.

L. Licinius Lucullus A. Postumius Albinus coss. cum dilectum seuerè agerent nec quemquam gratia dimitterent, ab tribunis pl., qui pro amicis suis uacationem impetrare non poterant, in carcerem coniecti sunt. Cum Hispaniense bellum parum prospere aliquoties gestum ita confudisset ciuitatem Romanam, ut ne hi quidem inuenirentur qui aut tribunatum exciperent aut legati ire uellent, P. Cornelius Aemilianus processit et excepturum se militiae genus, quodcumque imperatum esset, professus est. Quo exemplo omnes ad studium militandi concitauit.

Lucullus cos., cum Claudius Marcellus, cui successerat, pacasse omnes Celtiberiae populos uideretur, Vaccaeos et Cantabros et alias incognitas adhuc in Hispania tentes subegit. Ibi P. Cornelius Scipio Aemilianus, L. Pauli filius, Africani nepos, set adoptiuus, prouocatore barbarum tribunus militum occidit et in expugnatione Intercatiae urbis maius etiam nunc periculum adiit. Nam murum primus transcendit.

Seruius Sulpicius Galba praetor male aduersus Lusitanos pugnauit. Cum legati ex Africa cum

oratoribus Carthaginiensium et Gulussa, Masinissae filio, redissent dicerentque et exercitum se et classem Carthagine deprehendisse, perrogari sententias placuit. Catone et aliis principibus senatus suadentibus ut in Africam confestim transportaretur exercitus, quoniam Cornelius Nasica dicebat nondum sibi iustam causam belli uideri, placuit ut bello abstinerent, si Carthaginienses classem exussissent et exercitum dimisissent ; si minus, proximi consules de bello Punico referrent.

Cum locatum a censoribus theatrum exstrueretur, P. Cornelio Nasica auctore tamquam inutile et nociturum publicis moribus ex S. C. destructum est populusque aliquamdiu stans ludos spectauit.

Carthaginienses cum aduersus foedus bellum Masinissae intulissent, uicti ab eo annos habente XCII et sine pulpamine mandere et siccum gustare panem tantum solito insuper Romanum bellum meruerunt.

Motus praeterea Syriae et bella inter reges gesta referuntur. Inter quos motus Demetrius, Syriae rex, occisus est.

XLIX

Tertii Punici belli initium altero et sescentesimo ab Vrbe condita anno, intra quintum annum, quam erat coeptum, consummati.

Inter M. Porcium Catonem et Scipionem Nasicam, quorum alter sapientissimus uir in ciuitate habebatur, alter optimus uir etiam iudicatus a senatu erat, diuersis certatum sententiis est, Catone suadente bellum et ut tolleretur delereturque Carthago, Nasica dissuadente. Placuit tamen, quod contra foedus naues haberent, quod exercitum extra fines duxissent, quod socio populi R. et amico Masinissae arma intulissent, quod filium eius Gulussam, qui cum legatis Romanis erat, in oppidum non recepissent, bellum his indici.

Prius quam ullae copiae in naues imponerentur, Vticenses legati Romam uenerunt se suaque omnia dedentes. Ea legatio uelut omen grata patribus, acerba Carthaginiensibus fuit.

Ludi Diti patri ad Tarentum ex praecepto librorum facti, qui ante annum centesimum primo Punico bello, quingentesimo et altero anno ab urbe condita facti erant.

Legati XXX Romam uenerunt, per quos se Carthaginienses dedebant. Catonis sententia euicit ut in decreto perstaretur et ut consules quam primum ad bellum profiscerentur. Qui ubi in Africam transierunt, acceptis quos imperauerant CCC obsidibus et armis omnibus instrumentisque belli, si qua Carthagine erant, cum ex auctoritate patrum iuberent ut in alium locum, dum a mari X milia passuum ne minus remotum, oppidum facerent, indignitate rei ad bellandum Carthaginienses compulerunt.

Obsideri obpugnarique coepta est Carthago a L. Marcio M' Manilio coss. In qua obpugnatione cum neglectos ab una parte muros duo tribuni temere cum cohortibus suis inrupissent et ab oppidanis grauitur caederentur, a Scipione Orfiniato expliciti sunt. Per quem et castellum Romanorum, quod nocte expugnabant, paucis equitibus iuuantibus liberatum est castrorumque, quae Carthaginienses omnibus copiis ab urbe pariter egressi obpugnabant, liberatorum is ipse praecipuam gloriam tulit.

Praeterea cum ab inrita obpugnatione Carthaginiensis consul (alter enim Romam ad comitia ierat) exercitum duceret aduersus Hasdrubalem (cum ampla manu saltum iniquum insederat) suasit primo consuli ne tam iniquo loco confligeret. Victus deinde conplurium, qui et prudentiae et uirtuti eius inuidebant, sententiis et ipse saltum ingressus est. Cum, sicut praedixerat, fusus fugatusque esset Romanus exercitus et duae cohortes ab hoste obsiderentur, cum paucis equitum turmis in saltum reuersus liberauit eas et incolumes reduxit. Quam uirtutem eius et Cato, uir promptioris ad uituperandum linguae, in senatu sic prosecutus est ut diceret reliquos, qui in Africa militarent, umbras uolitare, Scipionem uigere, et populus R. eo fauore complexus ut comitiis plurimae eum tribus consulem scriberent, cum hoc per aetatem non liceret.

Cum L. Scribonius tr. pl. rogationem promulgasset, ut Lusitani, qui in fidem populo R. dediti ab Seruio Galba in Galliam uenissent, in libertatem restituerentur, M. Cato acerrime suasit. Extat oratio in Annalibus ipsius inclusa.

Q. Fuluius Nobilior ei, saepe ab eo in senatu laceratus, respondit pro Galba; ipse quoque Galba cum se damnari uideret, complexus duos filios praetextatos et Sulpicii Galli filium, cuius tutor erat, ita miserabiliter pro se locutus est ut rogatio antiquaretur. Exstant tres orationes eius, duae aduersus Libonem tr. pl. rogationemque eius habitae de Lusitanis, una contra L. Cornelium Cethegum, in qua Lusitanos prope se castra habentis caesos fatetur, quod compertum habuerit, equo atque homine suo ritu immolatis per speciem pacis adoriri exercitum suum in animo habuisse. Andruscus quidam, ultimae sortis homo, Persei se regis filium ferens et mutato nomine Philippus uocatus cum ab urbe Romana, quo illum Demetrius, Syriae rex, ob hoc ipsum mendacium miserat, clam profugisset, multis ad falsam eius fabulam uelut ad ueram coeuntibus, contracto exercitu totam Macedoniam aut uoluntate incolentium aut armis occupauit. Fabulam autem talem finxerat:

"Ex paelice se et Perseo rege ortum traditum educandum Cretensi cuidam esse, ut in belli casus quod ille cum Romanis gereret, aliquod uelut semen regiae stirpis exstaret. Hydramyti se educatum usque ad XII aetatis annum, patrem eum esse credentem a quo educaretur, ignarum generis fuisse sui. Adfecto deinde eo, cum prope ad ultimum finem uitae esset, detectam tandem sibi originem suam falsaque matri libellum datum signo Persei regis signatum, quem sibi traderet, cum ad puberem aetatem uenisset, obtestationesque ultimas adiectas, ut res in occultato ad id tempus seruaretur. Pubescenti libellum traditum in quo relictis sibi duo thesauri a patre dicerentur. Tum scienti mulierem se subditum esse, uerum stirpem ignorantem edidisse genus atque obtestatam, ut prius quam manaret ad Eumenes res, Perseo inimicum, excederet his locis, ne interficeretur. Eo se exterritum, simul sperantem aliquod a Demetrio auxilium in Syriam se contulisse atque ibi primum quis esset palam expromere ausum."

L

Thessalia, cum et illam inuadere armis atque occupare Pseudophilippus uellet, per legatos Romanorum auxiliis Achaeorum defensa est. Prusias, rex Bithyniae, omnium humillimorumque uitiorum, a Nicomede filio adiuuante Attalo, rege Pergami, occisus, habebat alterum filium, qui pro superiore ordine dentium enatum habuisse unum os continens dicitur. Cum III legati ad pacem inter Nicomedem et Prusiam faciendam ab Romanis missi essent, cum unus ex his multis cicatricibus sartum caput haberet, alter pedibus aeger esset, tertius ingenio socors haberetur, M. Cato dixit "eam in legationem, nec caput nec pedes nec cor habere."

In Syria, quae eo tempore stirpe generis parem Macedonum regis, inertia socordiaque similem Prusiae regem habebat, iacente eo in ganea et lustris Hammonius regnabat, per quem et amici omnes regis et Laodice regina et Antigonus, Demetri filius, occisi sunt.

Masinissa, Numidiae rex, maior XC annis decessit, uir insignis. Inter cetera iuuenalia opera, quae ad ultimum edidit adeo etiam neruis in senecta uirgit, ut post sextum et octogesimum annum filium genuerit. Inter tres liberos eius (maximus natu Micipsa, Gulussa, Mastanabal, qui etiam Graecis litteris eruditus erat) P. Scipio Aemilianus, cum commune his regnum pater reliquisset et diuidere eos arbitro Scipione iussisset, partes administrandi regni diuisit. Item Phameae Hamilconi, praefecto equitum Carthaginensium, uiro forti et cuius praecipua opera Poeni utebantur, persuasit ut ad Romanos cum equitatu suo transiret. Ex tribus legatis qui ad Masinissam missi erant, M. Claudius Marcellus cohorta tempestate fluctibus obrutus est.

Carthaginenses Hasdrubalem, Masinissae nepotem, quem praetorem habebant, hominem prodicionis suspectum, in curia occiderunt; quae suspicio inde manauit, quod propinquus esset Gulussae Romanorum auxilia iuuantis. P. Scipio Aemilianus cum aedilitatem peteret, consul a

populo dictus. Quoniam per annos consuli fieri non licebat, cum magno certamine suffragantis plebis et repugnantibus ei aliquamdiu patribus, legibus solutus et consul creatus.

M'. Manilius aliquot urbes circumpositas Carthagini expugnauit.

Pseudophilippus in Macedonia, caeso cum exercitu P. Iuuentio praetore, ab Q. Caecilio uictus captusque est, et reuicta Macedonia.

LI

Carthago, in circuitum XXIII milia patens, magno labore obsessa et per partes capta est; primum a Mancino legato, deinde a Scipione cos., cui extra sortem Africa prouincia data erat. Carthaginienses portu nouo, quia uetus obstructus a Scipione erat, facto et contracta clam exiguo tempore ampla classe infeliciter nauali proelio pugnauerunt. Hasdrubalis quoque, ducis eorum, castra ad Nephirim oppidum loco difficili sita cum exercitu deleta sunt a Scipione, qui tandem expugnauit septingentesimo anno quam erat condita.

Spoliorum maior pars Siculis, quibus ablata erant, reddita.

Ultimo urbis excidio cum se Hasdrubal Scipioni dedisset, uxor eius, quae paucis ante diebus de marito impetrare non potuerat ut ad uictorem transfugerent, in medium se flagrantis urbis incendium cum duobus liberis ex arce praecipitauit.

Scipio exemplo patris sui, Aemili Pauli, qui Macedoniam uicerat, ludos fecit transfugasque ac fugitiuos bestiis obiecit.

Belli Achaici semina referuntur haec, quod legati Romani ab Achaeis pulsati sint Corinthi, missi ut eas ciuitates, quae sub ditione Philippi fuerant, ab Achaico concilio secernerent.

LII

Cum Achaeis, qui in auxilio Boeotos et Chalcidenses habebant, Q. Caecilius Metellus ad Thermopylas bello confligit. Quibus uictis dux eorum Critolaus mortem sibi ueneno consciuit. In cuius locum Diaeus, Achaici motus primus auctor, ab Achaeis dux creatus ad Isthmon a L. Mummius cos. uictus est. Qui omni Achaia in ditionem accepta Corinthon ex S. C. diruit, quia ibi legati Romani uiolati erant. Thebae quoque et Chalchis, quae auxilio fuerant, dirutae. Ipse L. Mummius abstinentissimum uirum egit, nec quicquam ex his operibus ornamentisque quae praediues Corinthos habuit in domum eius peruenit.

Q. Caecilius Metellus de Andrisco triumphauit, P. Cornelius Scipio Aemilianus de Carthagine et Hasdrubale.

Viriathus in Hispania, primum ex pastore uenator, ex uenatore latro, mox iusti quoque exercitus dux factus, totam Lusitaniam occupauit, M. Vetilius praetorem fuso eius exercitu cepit, post quem C. Plautius praetor nihilo felicius rem gessit; tantumque terroris is hostis intulit ut aduersus eum consulari opus esset et duce et exercitu.

Praeterea motus Syriae et bella inter reges gesta referuntur.

Alexander, homo ignotus et incertae stirpis, occiso, sicut ante dictum est, Demetrio rege in Syria regnabat. Hunc Demetrius, Demetri filius, qui a patre quondam ob incertos belli casus ablegatus Cnidon fuerat, contempta socordia inertiaeque eius, adiuuante Ptolemaeo, Aegypti rege, cuius filiam Cleopatram in matrimonium acceperat, bello interemit. Ptolemaeus grauius in caput uulneratus inter curationem, dum ossa medici terebrare conantur, expirauit, atque in locum eius frater minor Ptolemaeus qui Cyrenis regnabat, successit. Demetrius ob crudelitatem quam in suos per tormenta exercebat, ab Diodoto quodam, uno ex subiectis, qui Alexandri filio bimulo admodum regnum adserebat, bello superatus Seleuceam confugit. referuntur.

L. Mummius de Achaëis triumphauit, signa aërea marmoreaque et tabulas pictas in triumpho tulit.

LIII

Appius Claudius cos. Salassos, gentem Alpinam, domuit.

Alter Pseudophilippus in Macedonia a L. Tremellio quaestore cum exercitu caesus est.

Q. Caecilius Metellus procos. Celtiberos cecidit et a Q. Fabio procos. magna pars Lusitaniae expugnatis aliquot urbibus recepta est.

Acilius senator Graece res Romanas scribit.

LIV

Q. Pompeius cos. in Hispania Terrestinos subegit. Cum isdem et Numantinis pacem a populo R. infirmatam fecit.

Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt ciuium capita CCCXXVIII milia CCCCLXII.

Cum Macedonum legati questum de D. Iunio Silano praetore uenissent, quod acceptis pecuniis prouinciam spoliasset, et senatus de querellis eorum uellet cognoscere, T. Manlius Torquatus, pater Silani, petiit impetrauitque ut sibi cognitio mandaretur; et domi causa cognita filium condemnauit abdicauitque. Ac ne funeri quidem eius, cum suspendio uitam finisset, interfuit sedensque domi potestatem consultantibus ex instituto fecit.

Q. Fabius procos. rebus in Hispania prospere gestis labem imposuit pace cum Viriatho aëquis condicionibus facta.

Viriathus a proditoribus, consilio Seruili Caepionis, interfectus est et ab exercitu suo multum comploratus ac nobiliter sepultus, uir duxque magnus et per XIII annos quibus cum Romanis bellum gessit, frequentius superior.

LV

P. Cornelio Nasica, cui cognomen Serapion fuit ab inidente Curiatio trib. pleb. impositum, et Dec. Iunio Bruto coss. dilectum habentibus in conspectu tironum res saluberrimi exempli facta est: nam C. Matienius accusatus est apud tribunos pl., quod exercitum ex Hispania deseruisset, damnatusque sub furca diu uirgis caesus est et sestertio nummo ueniit.

Tribuni pleb. quia non inpetrarent ut sibi denos quos uellent milites eximere liceret, consules in carcerem duci iusserunt.

Iunius Brutus cos. in Hispania iis qui sub Viriatho militauerant agros et oppidum dedit, quod uocatum est Valentia.

M. Popilius a Numantinis, cum quibus pacem factam inritam fieri senatus censuerat, cum exercitu fusus fugatusque est.

C. Hostilio Mancino cos. sacrificante pulli ex cauea euolauerunt; conscendenti deinde in nauem, ut in Hispaniam proficisceretur, accidit uox: "Mane, Mancine". Quae auspicia tristia fuisse euentu probatum est. Victus enim a Numantinis et castris exutus, cum spes nulla seruandi exercitus esset, pacem cum his fecit ignominiosam, quam ratam esse senatus uetuit. XXXX milia Romanorum ab III milibus Numantinorum uicta erant.

Decimus Iunius Lusitaniam expugnationibus urbium usque ad Oceanum perdomuit, et cum flumen Obliuionem transire nollent, raptum signifero signum ipse transtulit et sic ut transgrederentur persuasit.

Alexandri filius, rex Syriae, X annos admodum habens, a Diodoto, qui Tryphon cognominabatur, tutore suo, per fraudem occisus est corruptis medicis qui illum calculi dolore consumi ad populum mentiti, dum secant, occiderunt.

LVI

Decimus Iunius Brutus in Hispania ulteriore feliciter aduersus Gallaecos pugnauit.

Dissimili euentu M. Aemilius Lepidus procos. aduersus Vaccaeos rem gessit, clademque similem Numantinae passus est.

Ad exsoluendum foederis Numantini religione populum Mancinus, cum huius rei auctor fuisset, deditus Numantinis non est receptus.

Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt ciuium capita CCCXVII milia DCCCCXXXIII.

Fuluius Flaccus cos. Vardeos in Illyrico subegit.

M. Cosconius praetor in Thracia cum Scordiscis prospere pugnauit. Cum bellum Numantinum uitio ducum non sine pudore publico duraret, delatus est ultro Scipioni Africano a senatu populoque R. consulatus ; quem cum illi capere ob legem, quae uetabat quemquam iterum consulem fieri, non liceret, sicut priori consulatu legibus solutus est.

Bellum seruile in Sicilia ortum cum opprimi a praetoribus non potuisset, C. Fuluius cos. mandatum est. Huius belli initium fuit Eunus seruus, natione Syrus, qui contracta agrestium seruorum manu et solutis ergastulis iusti exercitus numerum impleuit. Cleon quoque alter seruus ad LXX milia seruorum contraxit, et iunctis copiis aduersus exercitum Romanum bellum saepe gesserunt.

LVII

Scipio Africanus Numantiam obsedit et corruptum licentia luxuriaque exercitum ad seuerissimam militiae disciplinam reuocauit. Omnia deliciarum instrumenta recidit, duo milia scortorum a castris eiecit, militem cotidie in opere habuit et XXX dierum frumentum ad septenos uallos ferre cogebat. Aegre propter onus incedenti dicebat: "cum gladio te uallare scieris, uallum ferre desinito"; alii scutum parum habiliter ferenti, "amplius eum scutum iusto ferre, neque id se reprehendere, quando melius scuto quam gladio uteretur ". Quem militem extra ordinem deprehendit, si Romanus esset, uitibus, si extraneus, uirgis cecidit. Iumenta omnia, ne exonerarent militem, uendidit. Saepe aduersus eruptiones hostium feliciter pugnauit. Vaccae obsessi liberis coniugibusque trucidatis ipsi se interemerunt.

Scipio amplissima munera missa sibi ab Antiocho, rege Syriae, cum celare aliis imperatoribus regum munera mos esset, pro tribunali accepturum se esse dixit omniaque ea quaestorem referre in publicas tabulas iussit: ex his se uiris fortibus dona esse daturum. Cum undique Numantiam obsidione clusisset et obsessos fame uideret urgeri, hostes qui pabulatum exierant, uetuit occidi, quia diceret uelocius eos absumpturos frumenti quod haberent, si plures fuissent.

LVIII

Tib. Sempronius Gracchus trib. pleb. cum legem agrariam ferret aduersus uoluntatem senatus et equestris ordinis: nequis ex publico agro plus quam mille iugera possideret, in eum furorem exarsit ut M. Octauio collegae causam diuersae partis defendenti potestatem lege lata abrogaret, seque et C. Gracchum fratrem et Appium Claudium socerum triumuiros ad diuidendum agrum crearet.

Promulgauit et aliam legem agrariam, qua sibi latius agrum patefaceret, ut idem triumuii iudicarent, qua publicus ager, qua priuatus esset. Deinde cum minus agri esset quam quod diuidi posset sine offensa etiam plebis, quoniam eos ad cupiditatem amplum modum sperandi incitauerat, legem se promulgaturum ostendit ut his, qui Sempronia lege agrum accipere deberent, pecunia quae regis Attali fuisset diuideretur. Heredem autem populum Romanum reliquerat Attalus, rex Pergami, Eumenis filius.

Tot indignitatibus commotus grauiter senatus, ante omnis T. Annius consularis. Qui cum in senatu in Gracchum perorasset, raptus ab eo ad populum delatusque plebi, rursus in eum pro rostris contionatus est. Cum iterum trib. pleb. creari uellet Gracchus, auctore P. Cornelio Nasica in Capitolio ab optimatibus occisus est, ictus primum fragmentis subselli, et inter alios qui in eadem seditione occisi erant insepultus in flumen proiectus.

Res praeterea in Sicilia uario euentu aduersus fugitiuos gestas continet.

LIX

Numantini fame coacti ipsi se per uicem traicientes trucidauerunt, captam urbem Scipio Africanus deleuit et de ea triumphauit XIII anno post Carthaginem deletam.

P. Rupilius cos. in Sicilia cum fugitiuis debellauit.

Aristonicus, Eumenis regis filius, Asiam occupauit, cum testamento Attali regis legata populo R. libera esse deberet. Aduersus eum P. Licinius Crassus cos., cum idem pontifex max. esset, quod numquam antea factum erat, extra Italiam profectus proelio uictus et occisus est. M. Perperna cos. uictum Aristonicum in deditionem accepit.

Q. Pompeius Q. Metellus, tunc primum uterque ex plebe facti censores, lustrum condiderunt. Censa sunt ciuium capita CCCXVIII milia DCCCXXIII praeter pupillos, pupillas et uiduas.

Q. Metellus censor censuit ut cogentur omnes ducere uxores liberorum creandorum causa. Extat oratio eius, quam Augustus Caesar, cum de maritandis ordinibus ageret, uelut in haec tempora scriptam in senatu recitauit.

C. Atinius Labeo trib. pleb. Q. Metellum censorem, a quo in senatu legendo praeteritus erat, de Saxo deici iussit ; quod ne fieret, ceteri tribuni plebis auxilio tuerunt.

Cum Carbo trib. plebi rogationem tulisset, ut eundem tribunum pleb., quotiens uellet, creare liceret, rogationem eius P. Africanus grauissima oratione dissuasit ; in qua dixit Ti. Gracchum iure caesum uideri. C. Gracchus contra suasit rogationem, sed Scipio tenuit.

Bella inter Antiochum, Syriae, et Phraaten, Parthorum regem, gesta nec magis quietae res Aegypti referuntur: Ptolemaeus Euergetes cognominatus, ob nimiam crudelitatem suis inuisus, incensa a populo regia clam Cypron profugit, et cum sorori eius Cleopatrae, quam filia eius uirgine per uim compressa atque in matrimonium ducta repudiauerat, regnum a populo datum esset, infensus filium quem ex illa habebat in Cypro occidit caputque eius et manus et pedes matri misit.

Seditiones a triumuiris Fulvio Flacco et C. Graccho et C. Papirio Carbone agro diuidendo creatis excitatae. Cum P. Scipio Africanus aduersaretur fortisque ac ualidus pridie domum se recepisset, mortuus in cubiculo inuentus est. Suspecta fuit, tamquam ei uenenum dedisset, Sempronia uxor hinc maxime quod soror esset Gracchorum cum quibus similtas Africano fuerat. De morte tamen eius nulla quaestio acta. Defuncto eo acrius seditiones triumuirales exarserunt.

C. Sempronius cos. aduersus Iapydas primo male rem gessit, mox uictoria cladem acceptam emendauit uirtute Decimi Iuni Bruti, eius qui Lusitaniam subegerat.

LX

L. Aurelius cos. bellantes Sardos subegit.

M. Fulvius Flaccus primus transalpinos Liguras domuit bello, missus in auxilium Massiliensium aduersus Salluuios Gallos, qui fines Massiliensium populabantur.

L. Opimius praetor Fregellanos, qui defecerant, in deditionem accepit, Fregellas diruit.

Pestilentia in Africa ab ingenti lucustarum multitudine et deinde necatarum strage fuisse traditur.

Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt ciuium capita CCCXCIII milia DCCXXXVI.

C. Gracchus, Tiberi frater, trib. plebis, eloquentior quam frater, perniciosas aliquot leges tulit, inter quas frumentariam, ut senis et triente frumentum plebi daretur; alteram legem agrariam quam et frater eius tulerat; tertiam, qua equestrem ordinem tunc cum senatu consentientem corrumperet, ut sescenti ex equite in curiam sublegerentur et, quia illis temporibus CCC tantum senatores erant, DC equites CCC senatoribus admiscerentur, id est ut equester ordo bis tantum uirium in senatu haberet. Et continuato in alterum annum tribunatu legibus agrariis latis effecit ut complures coloniae in Italia deducerentur et una in solo dirutae Carthaginis, quo ipse triumphum creatus coloniam deduxit.

Praeterea res a Q. Metello cos. aduersus Baleares gestas continet, quos Graeci Gymnesios appellant, quia aestatem nudi exigunt. Baleares a teli missu appellati aut a Balio, Herculis comite ibi relicto, cum Hercules ad Geryonem nauigaret.

Motus quoque Syriae referuntur, in quibus Cleopatra Demetrium uirum suum et Seleucum filium indignata quod occiso patre eius a se iniussu suo diadema sumpsisset, interemit.

LXI

C. Sextius procos. uicta Salluuiorum gente coloniam Aquas Sextias condidit, ob aquarum copiam e caldis frigidisque fontibus atque a nomine suo ita appellatas.

Cn. Domitius procos. aduersus Allobrogas ad oppidum Vindalium feliciter pugnavit. Quibus bellum inferendi causa fuit quod Toutomotulum, Salluuiorum regem, fugientem receperunt et omni ope iuissent, quodque Aeduorum agros, sociorum populi R., uastassent.

C. Gracchus seditioso tribunatu acto cum Auentinum quoque armata multitudine occupasset, a L. Opimio cos. ex S. C. uocato ad arma populo pulsus et occisus est, et cum eo Fulvius Flaccus consularis, socius eiusdem furoris.

Q. Fabius Maximus cos., Pauli nepos, aduersus Allobrogas et Bituitum, Aruernorum regem, feliciter pugnavit. Ex Bituiti exercitu occisa milia CXX; ipse cum ad satisfaciendum senatui Romam profectus esset, Albam custodiendus datus est, quia contra pacem uidebatur, ut in Galliam remitteretur. Decretum quoque est, ut Congonnetiacus, filius eius, comprehensus Romam mitteretur. Allobroges in deditionem recepti.

L. Opimius accusatus apud populum a Q. Decio trib. pl., quod indemnatos ciues in carcerem coniecisset, absolutus est.

LXII

Q. Marcius cos. Stynos, gentem Alpinam, expugnauit.

Micipsa, Numidiae rex, mortuus regnum tribus filiis reliquit: Atherbali, Hiempsali, Iugurthae, fratris filio, quem adoptauerat.

L. Caecilius Metellus Dalmatas subegit.

Iugurtha Hiempsalem fratrem petiit bello. Qui uictus occiditur; Atherbalem regno expulit; is a

senatu restitutus est.

L. Caecilius Metellus Cn. Domitius Ahenobarbus censores duos et XXX senatu mouerunt.
Praeterea motus Syriae regumque continet.

LXIII

C. Porcius cos. in Thracia male aduersus Scordiscos pugnavit.

Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt ciuium capita CCCXCIII milia CCCXXXVI.

Aemilia, Licinia, Marcia, uirgines Vestales, incesti damnatae sunt, idque incestum quem ad modum et commissum et deprehensum et uindicatum sit re fertur.

Cimbri, gens uaga populabundi in Illyricum uenerunt. Ab his Papirius Carbo cos. cum exercitu fusus est.

Liuius Drusus cos. aduersus Scordiscos, gentem a Gallis oriundam, in Thracia feliciter pugnavit.

LXIV

Atherbal bello petitus ab Iugurtha et in oppido Cirtha obsessus contra denuntiationem senatus ab eo occisus est, et ob hoc bellum Iugurthae indictum, idque Calpurnius Bestia cos. gerere iussus pacem cum Iugurtha iniussu populi et senatus fecit.

Iugurtha fide publica euocatus ad indicandos auctores consiliorum suorum, quod multos pecunia in senatu corrupisse dicebatur, Romam uenit et propter caedem admissam in regulum quemdam nomine Massiuam, qui regnum eius populo R. inuisi adfectabat, Romae interfectum cum periclitaretur causam capitis dicere, clam profugit et cedens urbe fertur dixisse : "O urbem uenalem et cito perituram, si emptorem inuenerit."

A. Postumius legatus infeliciter proelio aduersus Iugurtham gesto pacem quoque adiecit ignominiosam, quam non esse seruandam senatus censuit.

LXV

Q. Caecilius Metellus cos. duobus proeliis Iugurtham fudit totamque Numidiam uastauit.

M. Iunius Silanus cos. aduersus Cimbrum infeliciter pugnavit. Legatis Cimbrorum sedem et agros in quibus consistere postulantes senatus negavit.

M. Minucius procos. aduersus Thracas prospere pugnavit.

L. Cassius cos. a Tigurinis Gallis, pago Heluetiorum, qui a ciuitate secesserant, in finibus Nitiobrogum cum exercitu caesus est.

Milites, qui ex ea caede superauerant, obsidibus datis et dimidia rerum omnium parte, ut incolumes dimitterentur, cum hostibus pacti sunt.

LXVI

Iugurtha pulsus a C. Mario Numidia cum auxilio Bocchi, Maurorum regis, adiutus esset, caesis proelio Bocchi quoque copiis, nolente Boccho bellum infeliciter susceptum diutius sustinere uinctus ab eo et Mario traditus est; in qua re praecipua opera L. Corneli Syllae, quaestoris C. Mari, fuit.

LXVII

M. Aurelius Scaurus, legatus consulis, a Cimbris fuso exercitu captus est, et cum in consilium ab his aduocatus deterreret eos ne Alpes transirent Italiam petaturi, eo quod diceret Romanos uinci non posse, a Boiorige, feroci iuvene, occisus est. Ab isdem hostibus Cn. Manlius cos. et Q. Seruilius Caepio procos. uicti proelio castris quoque binis exuti sunt, militum milia LXXX occisa, calorum et lixarum XL (secundum Antiatem) apud Arausionem. Caepionis, cuius temeritate clades accepta erat, damnati bona publicata sunt, primi post regem Tarquinium imperiumque ei abrogatum. In triumpho C. Marii ductus ante currum eius Iugurtha cum duobus filiis et in carcere necatus est.

Marius triumphali ueste in senatum uenit, quod nemo ante eum fecerat, eique propter metum Cimbrici belli continuatus per complures annos est consulatus. Secundo et tertio absens consul creatus quartum consulatum dissimulanter captans consecutus est.

Cn. Domitius pont. max. populi suffragio creatus est.

Cimbri uastatis omnibus quae inter Rhodanum et Pyrenaeum sunt, per saltum in Hispaniam transgressi ibique multa loca populati a Celtiberis fugati sunt, reuersique in Galliam in Veliocassis se Teutonibus coniunxerunt.

LXVIII

M. Antonius praetor in Ciliciam maritimos praedones--id est piratas--persecutus est.

C. Marius cos. summa uis oppugnata a Teutonibus et Ambronibus castra defendit.

Duobus deinde proeliis circa Aquas Sextias eosdem hostes deleuit, in quibus caesa traduntur hostium CC milia, capta XC.

Marius absens quinto cos. creatus est. Triumphum oblatum, donec et Cimbricos uinceret, distulit.

Cimbri cum repulso ab Alpibus fugatoque Q. Catulo procos., qui fauces Alpium obsidebat, (ad flumen Athesim cohortem quae castellum editum insederat, reliquerat, quae tamen uirtute sua explicata fugientem procos. exercitumque consecuta est) in Italiam traiecissent, iunctis eiusdem Catuli et C. Marii exercitibus, proelio uicti sunt; in quo caesa traduntur hostium milia CXL, capta LX.

Marius totius ciuitatis consensu exceptus pro duobus triumphis qui offerebantur, uno contentus fuit. Primores ciuitatis, qui ei aliquamdiu ut nouo homini ad tantos honores euecto inuiderant, conserua tam ab eo rem p. fatebantur.

Publicius Marcellus matre occisa primus in culleo insutus in mare praecipitatus est.

Ancilia cum strepitu mota esse, antequam Cimbricum bellum consummaretur, refertur.

Bella praeterea inter Syriae reges gesta continet.

LXIX

L. Apuleius Saturninus, adiuuante C. Mario et per milites occiso A. Nunnio competitore tribunus plebis per uim creatus, non minus uiolenter tribunatum, quam petierat, gessit et cum legem agrariam per uim tulisset, diem dixit. Qui cum a bonis ciuibus defenderetur, ne causa certaminum esset, in exilium uoluntarium, Rhodum profectus est, ibique audiendo et legendo magnos uiros auocabatur.

Profecto C. Marius, seditionis auctor, cui sextum consulatum pecunia per tribus sparsa emerat, aqua et igni interdixit.

Idem Apuleius Saturninus trib. pleb. C. Memmii, candidatum consulatus, quoniam aduersarium eum actionibus suis timebat, occidit. Quibus rebus concitato senatu, in cuius causam et C. Marius, homo uarii mutabilis ingenii consiliique semper secundum fortunam, transierat,

oppressus armis cum Glaucia praetore et aliis eiusdem furoris sociis bello quodam interfectus est.

Q. Caecilius Metellus ab exilio ingenti totius ciuitatis fauore reductus est.

M'. Aquilius procos. in Sicilia bellum seruile excitatum confecit.

LXX

Cum M'. Aquilius de pecuniis repetundis causam diceret, ipse iudices rogare noluit ; M. Antonius, qui pro eo perorabat, tunicam a pectore eius discidit, ut honestas cicatrices ostenderet. Indubitate absolutus est. Cicero eius rei solus auctor.

T. Didius procos. aduersus Celtiberos feliciter pugnauit.

Ptolemaeus, Cyrenarum rex, cui cognomen Apionis fuit, mortuus heredem populum R. reliquit et eius regni ciuitates senatus liberas esse iussit. Ariobarzanes in regnum Cappadociae a L. Cornelio Sylla reductus est. Parthorum legati a rege Arsace missi uenerunt ad Syllam ut amicitiam populi R. peterent.

P. Rutilius, uir summae innocentiae, quoniam legatus C. Muci procos. a publicanorum iniuriis Asiam defenderat, inuisus equestri ordini penes quem iudicia erant, repetundarum damnatus in exilium missus est.

C. Sentius praetor aduersus Thracas infeliciter pugnauit.

Senatus, cum impotentiam equestris ordinis in iudiciis exercendis ferre nollet, omni uirum eniti coepit ut ad se iudicia transferret, sustinente causam eius M. Liuius Drusus trib. pleb., qui ut uires sibi acquireret, perniciose spe largitionum plebem concitauit.

Praeterea motus Syriae regnumque continet.

LXXI

M. Liuius Drusus trib. pleb., quo maioribus uiribus senatus causam susceptam tueretur, socios et Italicos populos spe ciuitatis Romanae sollicitauit, iisque adiuuantibus per uim legibus agrariis frumentariisque latis iudiciariam quoque pertulit ut aequa parte iudicia penes senatum et equestrem ordinem essent. Cum deinde promissa sociis ciuitas praestari non posset, irati Italici defectionem agitare coeperunt. Eorum coetus coniurationesque et orationes in consiliis principum referuntur. Propter quae Liuius Drusus inuisus etiam senatui factus uelut socialis belli auctor, incertum a quo domi occisus est.

LXXII

Italici populi defecerunt: Picentes, Vestini, Marsi, Paeligni, Marrucini, Samnites, Lucani. Initio belli a Picentibus moto Q. Seruilius procos. in oppido Asculo cum omnibus ciuibus R. qui in eo oppido erant occisus est. Saga populus sumpsit.

Seruilius Galba a Lucanis comprehensus unius feminae opera, ad quam deuertebatur, e captiuitate receptus est. Aesernia et Alba coloniae ab Italicis obsessae sunt. Auxilia deinde Latini nominis et exterarum gentium missa populo R. et expeditiones inuicem expugnationesque urbium referuntur.

LXXIII

L. Iulius Caesar cos. male aduersus Samnites pugnauit. Nola colonia in potestatem Samnitium uenit cum L. Postumio praetore qui ab his interfectus est.

Complures populi ad hostes defecerunt. Cum P. Rutilius cos. parum prospere aduersus Marsos pugnasset et in eo proelio cecidisset, C. Marius, legatus eius, meliore euentu cum hostibus acie confluxit.

Seruius Sulpicius Paelignos proelio fudit.

Q. Caepio, legatus Rutili, cum obsessus prospere in hostes inrupisset, et ob eum successum aequatum ei cum C. Mario esset imperium, temerarius factus et circumuentus insidiis fuso exercitu cecidit.

L. Iulius Caesar cos. feliciter aduersus Samnites pugnavit. Ob eam uictoriam Romae saga posita sunt.

Et ut uaria belli fortuna esset, Aeserna colonia cum M. Marcello in potestatem Samnitium uenit, sed et C. Marius proelio Marsos fudit, Hierio Asinio, praetore Marrucinatorum, occiso.

C. Caelius in Gallia transalpina Salluuios rebellantes uicit.

LXXIV

Cn. Pompeius Picentes proelio fudit et Asculum obsedit. Propter quam uictoriam Romae praetextae et alia magistratum insignia sumpta sunt. C. Marius cum Marsis dubio euentu pugnavit. Libertini tunc primum militare coeperunt.

A. Plotius legatus Umbros, L. Porcius praetor Etruscos, cum uterque populus defecisset, proelio uicerunt.

Nicomedes in Bithyniae, Ariobarzanes in Cappadociae regnum reducti sunt.

Cn. Pompeius cos. Marsos acie uicit. Cum aere alieno pressa esset ciuitas, A. Sempronius Asellio praetor, quoniam secundum debitores ius dicebat, ab his qui faenerabant in foro occisus est.

Praeterea incursiones Thracum in Macedoniam populationesque continet.

LXXV

A. Postumius Albinus legatus cum classi praeesset, infamis crimine perduellionis, ab exercitu suo interfectus est.

L. Cornelius Sylla legatus Samnites proelio uicit et bina castra eorum expugnauit.

Cn. Pompeius Vestinos in deditionem accepit.

L. Porcius cos. rebus prospere gestis fuisque aliquotiens Marsis, dum castra eorum expugnat, cecidit. Ea res hostibus uictoriam eius proelii dedit.

Cosconius et Lucanus Samnites acie uicerunt, Marium Egnatium, nobilissimum hostium ducem, occiderunt, compluraque oppida in deditionem acceperunt.

L. Sylla Hirpinos domuit, Samnites pluribus proeliis fudit, aliquot populos recepit, quantisque raro quisquam alius ante consulatum rebus gestis ad petitionem consulatus Romam est profectus.

LXXVI

A. Gabinius legatus rebus aduersus Lucanos prospere gestis et plurimis oppidis expugnatis in obsidione hostium castrorum cecidit.

Sulpicius legatus Marrucinos cecidit totamque eam regionem recepit. Cn. Pompeius procos. Vestinos et Paelignos in deditionem accepit. Marsi quoque a L. Cinna et Caecilio Pio legatis aliquot proeliis fracti petere pacem coeperunt.

Asculum a Cn. Pompeio captum est.

Caesis et a Mamercio Aemilio legato Italicis Silo Poppaedius, dum Marsorum, auctor eius rei, in proelio cecidit.

Ariobarzanes Cappadociae, Nicomedes Bithyniae regno a Mithridate, Ponti rege, pulsus sunt. Praeterea incursiones Thracum in Macedoniam populationesque continet.

LXXVII

Cum P. Sulpicius trib. pleb. auctore C. Mario perniciosas leges promulgasset, ut exsules reuocarentur et noui ciues libertinique in tribus distribuerentur et ut C. Marius aduersus Mithridaten, Ponti regem, dum crearetur, et aduersantibus consulibus Q. Pompeio et L. Syllae uim intulisset, occiso Q. Pompeio, Q. Pompei cos. filio, genero Syllae, L. Sylla cos. cum exercitu in urbem uenit et aduersus factionem Sulpici et Mari in ipsa urbe pugnauit eamque expulit. Ex qua XII a senatu hostes, inter quos C. Marius pater et filius, iudicati sunt.

P. Sulpicius cum in quadam uilla lateret, indicio serui sui retractus et occisus est. Seruus ut praemium promissum indici haberet, manumissus et ob scelus proditi domini de Saxo deiectus est.

C. Marius filius in Africam traiecit. C. Marius pater cum in paludibus Minturnensium lateret, extractus est ab oppidanis, et cum missus ad occidendum eum seruus natione Gallus maiestate tanti uiri perterritus recessisset, impositus publice nauis delatus est in Africam.

L. Sylla ciuitatis statum ordinauit, exinde colonias deduxit.

Q. Pompeius cos. ad accipiendum a Cn. Pompeio procos. exercitum profectus consilio eius occisus est.

Mithridates, Ponti rex, Bithynia et Cappadocia occupatis et pulso Aquilio legato Phrygiam, prouinciam populi R., cum ingenti exercitu intrauit.

LXXVIII

Mithridates Asiam occupauit, Q. Oppium procos., item Aquilium legatum in uincula coniecit, iussuque eius, quicquid ciuium R. in Asia fuit uno die trucidatum est. Urbem Rhodum, quae sola in fide populi R. manserat, oppugnauit et aliquot proeliis naualibus uictus recessit.

Archelaus, praefectus regis, in Graeciam cum exercitu uenit, Athenas occupauit.

Praeterea trepidationem urbium insularumque, filiis ad Mithridaten, aliis ad populum R. ciuitates suas trahentibus, continet.

LXXIX

L. Cornelius Cinna cos. cum perniciosas leges per uim atque arma ferret, pulsus urbe ab Cn. Octauio collega cum sex tribunis plebis imperioque ei abrogato, corruptum Appi Claudii exercitum in potestatem suam redegit et bellum urbi intulit, arcessito C. Mario ex Africa cum filiis exulibus. In quo bello duo fratres, alter ex Pompei exercitu, alter ex Cinnae, ignorantes concurrerunt, et cum uictor spoliaret occisum, agnito fratre ingenti lamentatione edita, rogo ei extracto, ipse se supra rogam transfudit et eodem igne consumptus est.

Et cum opprimi inter initia potuisset, Cn. Pompei fraude, qui utramque partem fouendo uires Cinnae dedit nec nisi profligatis optimatum rebus auxilium tulit, et consulis segnitia confirmati Cinna et Marius quattuor exercitibus, ex quibus duo Q. Sertorio et Carboni dati sunt, urbem circumsederunt.

Ostiam coloniam Marius expugnauit et crudeliter diripuit.

LXXX

Italicis populis a senatu ciuitas data est. Samnites, qui soli arma recipiebant, Cinnae et Mario se coniunxerunt. Ab his Plautius legatus cum exercitu caesus est.

Cinna et Marius cum Carbone et Sertorio Ianiculum oppugnauerunt et fugati ab Octauiio consule recesserunt.

Marius Antium et Ariciam et Lanuuium colonias expugnauit.

Cum spes nulla esset optimatibus resistendi propter segnitiam et perfidiam et ducum et militum, qui corrupti aut pugnare nolebant, aut in diuersas partes transiebant, Cinna et Marius in urbem recepti sunt ; qui uelut captam eam caedibus ac rapinis uastauerunt, Cn. Octauiio cos. occiso et omnibus aduersae partis nobilibus trucidatis, inter quos M. Antonio, eloquentissimo uiro, et Gaio Lucioque Caesare, quorum capita in rostris posita sunt.

Crassus filius ab equitibus Fimbriae occisus, pater Crassus, ne quid indignum uirtute sua pateretur, gladio se transfixit.

Et citra ulla comitia consules in sequentem annum se ipsos renuntiauerunt.

Eodemque die quo magistratum inierant, Marius S. Licinium senatorem de Saxo deici iussit, editisque plurimis sceleribus idibus Ianuar. decessit.

Vir, cuius si examinentur cum uirtutibus uitia, haud facile sit dictu utrum bello melior an pace perniciosior fuerit. Adeo quam rem p. armatus seruauit, eam primo togatus omni genere fraudis, postremo armis hostiliter euertit.

LXXXI

L. Sylla Athenas, quas Archelaus, praefectus Mithridatis, occupauerat, circumsegit et cum magno labore expugnauit. Vrbi libertatem et quae habuerat reddidit.

Magnesia, quae sola in Asia ciuitas in fide manserat, sua uirtute aduersus Mithridatem defensa est.

Praeterea excursiones Thracum in Macedoniam continet.

LXXXII

Sylla copias regis, quae Macedonia occupata in Thessaliam uenerant, proelio uicit, caesis hostium et castris quoque expugnatis. Renouato deinde bello iterum exercitum regis fudit ac deleuit.

Archelaus cum classe regia Syllae se tradidit.

L. Valerius Flaccus cos., collega Cinnae, missus ut Syllae succederet, propter auaritiam inuisus exercitui suo a C. Fimbria, legato ipsius, ultimae audaciae homine, occisus est et imperium ad Fimbriam translatum.

Praeterea expugnatae in Asia urbes a Mithridate et crudeliter directa prouincia, incursiones Thracum in Macedoniam referuntur.

LXXXIII

Flauius Fimbria in Asia fuis proelio aliquot praefectis Mithridatis urbem Pergamum cepit obsessumque regem non multum afuit quin caperet. Urbem Ilium, quae se potestati Syllae

reseruabat, expugnauit ac deleuit et magnam partem Asiae recepit.

Sylla compluribus proeliis Thracas cecidit.

Cum L. Cinna et Cn. Papirius Carbo, a se ipsis coss. per biennium creati, bellum contra Syllam praepararent, effectum est per L. Valerium Flaccum, principem senatus, qui orationem in senatu habuit, et per eos qui concordiae studebant, ut legati ad Syllam de pace mitterentur.

Cinna ab exercitu suo, quem inuitum cogebat naues conscendere et aduersus Syllam proficisci, interfectus est.

Consulatum Carbo solus gessit.

Sylla cum in Asiam traiecisset, pacem cum Mithridate fecit ita ut his cederet prouinciis : Asia, Bithynia, Cappadocia.

Fimbria desertus ab exercitu qui ad Syllam transierat, ipse se percussit impetrauitque de seruo suo, praebens ceruicem, ut se occideret.

LXXXIV

Sylla legatis, qui a senatu missi erant, futurum se in potestate senatus respondit, si ciues, qui pulsati a Cinna ad se confugerant, restituerentur. Quae condicio cum iusta senatui uideretur, per Carbonem factionemque eius, cui bellum uidebatur utilius, ne conueniret effectum est. Idem Carbo cum ab omnibus Italiae oppidis coloniisque obsides exigere uellet, ut fidem eorum contra Syllam obligaret, consensu senatus prohibitus est.

Nouis ciuibus S. C. suffragium datum est.

Q. Metellus Pius, qui partes optimatum secutus erat, cum in Africa bellum moliretur, a C. Fabio praetore pulsus est, senatusque consultum per factionem Carbonis et Marianarum partium factum est, ut omnes ubique exercitus dimitterentur.

Libertini in quinque et XXX tribus distributi sunt.

Praeterea belli apparatus, quod contra Syllam excitabatur, continet.

LXXXV

Sulla in Italiam traiecit missisque legatis, qui de pace agerent, et ab cos. C. Norbano uiolatis eundem Norbanum proelio uicit. Et cum L. Scipionis, alterius cos., cum quo per omnia id egerat ut pacem iungeret nec potuerat, castra oppugnaturus esset, uniuersus exercitus consulis, sollicitatus per emissos a Sylla milites, signa ad Syllam transtulit. Scipio cum occidi posset, dimissus est.

Cn. Pompeius, Cn. Pompei eius qui Asculum ceperat filius, conscripto uoluntariorum exercitum cum tribus legionibus ad Syllam uenerat, ad quem se nobilitas omnis conferebat, ita ut deserta urbe ad castra ueniretur.

Praeterea expeditiones per totam Italiam utriusque partis ducum referuntur.

LXXXVI

Cum C. Marius, C. Marii filius, cos. ante annos XX per uim creatus esset, C. Fabius in Africa propter crudelitatem et auaritiam suam in praetorio suo uiuus exustus est.

L. Philippus, legatus Syllae, Sardiniam Q. Antonio praetore pulso et occiso occupauit.

Sylla cum Italicis populis, ne timeretur ab his uelut erepturus ciuitatem et suffragii ius nuper datum, foedus percussit. Itemque ex fiducia iam certae uictoriae litigatores a quibus adibatur uadimonia Romam deferre iussit, cum a parte diuersa urbs adhuc teneretur.

L. Damasippus praetor ex uoluntate C. Marii cos. cum senatum contraxisset, omnem quae in urbe erat nobilitatem trucidauit. Ex cuius numero Q. Mucius Scaeuola pont. max. fugiens in uestibulo aedis Vestae occisus est.

Praeterea bellum a L. Murena aduersus Mithridatem in Asia renouatum continet.

LXXXVII

Sylla C. Marium, exercitu eius fuso delectoque ad Sacriportum, in oppido Praeneste obsedit, urbem Romam ex inimicorum manibus recepit. Marium erumpere temptantem reppulit.

Praeterea res a legatis eius eadem ubique fortuna partium gestas continet.

LXXXVIII

Sylla Carbonem, eius exercitu ad Clusium ad Fauentiam Fidentiamque caeso, Italia expulit, cum Samnitibus, qui soli ex Italicis populis nondum arma posuerant, iuxta urbem Romanam ante portam Collinam debellauit, reciperataque re p. pulcherrimam uictoriam crudelitate quanta in nullo hominum fuit, inquinauit.

VIII milia dediticiorum in uilla publica trucidauit, tabulam proscriptionis posuit, urbem ac totam Italiam caedibus repleuit inter quas omnes Praenestinos inermes concidi iussit, Marium, senatorii ordinis uirum, cruribus brachiisque fractis, auribus praeseectis et oculis effossis necauit.

C. Marius Praeneste obsessus a Lucretio Ofella, Syllanarum partium uiro, cum per cuniculum captaret euadere saeptum exercitu, mortem consciuit. Id est, in ipso cuniculo, cum sentiret se euadere non posse, cum Telesino, fugae comite, stricto utrimque gladio concurrat; quem cum occidisset, ipse saucius impetrauit a seruo ut se occideret.

LXXXIX

M. Brutus a Cn. Papirio Carbone Cossyra, quam adpulerant, missus naue piscatoria Lilybaeum, ut exploraret an ibi iam Pompeius esset et circumuentus nauibus quas Pompeius miserat, in se mucrone uerso ad transtrum nauis obnixus corporis pondere incubuit.

Cn. Pompeius in Siciliam cum imperio a senatu missus Cn. Carbonem, qui flens muliebriter mortem tulit, captum occidit.

Sylla dictator factus, quod nemo umquam fecerat, cum fascibus XXIII processit.

Legibus nouis rei pub. statum confirmauit, tribunorum pleb. potestatem minuit et omne ius legum ferendarum ademit, pontificum augurumque collegium ampliauit ut essent XV, senatum ex equestri ordine suppleuit, proscriptorum liberis ius petendorum honorum eripuit et bona eorum uendit, ex quibus plurima primo rapuit. Redactum est sestertium ter milies quingenties.

Q. Lucretium Ofellam aduersus uoluntatem suam consulatum petere ausum iussit occidi in foro, et cum hoc indigne ferret populus R., contione aduocata se iussisse dixit.

Cn. Pompeius in Africa Cn. Domitium proscriptum et Hiertam, regem Numidiae, bellum molientes uictos occidit et quattuor et XX annos natus, adhuc eques R., quod nulli contigerat, ex Africa triumphauit.

C. Norbanus consularis proscriptus, in urbe Rhodo cum comprehenderetur, ipse se occidit.

Mutilus, unus ex proscriptis, clam capite adoperto ad posticias aedes Bastiae uxoris cum accessisset, admissus non est quia illum proscriptum diceret. Itaque ipse se transfodit et sanguine suo fores uxoris respersit. Sylla Nolam in Samnio recepit. XLVII legiones in agros captos deducit et

eos his diuisit.

Volaterras, quod oppidum adhuc in armis erat, obsessum in deditionem accepit.

Mitylenae quoque in Asia, quae sola urbs post uictum Mithridaten arma retinebat, expugnatae dirutaeque sunt.

XC

Sylla decessit honosque ei a senatu habitus est, ut in campo Martio sepeliretur.

M. Lepidus cum acta Syllae temptaret rescindere, bellum excitauit. A Q. Catulo collega Italia pulsus et in Sardinia frustra bellum molitus periit.

M. Brutus, qui Cisalpinam Galliam obtinebat, a Cn. Pompeio occisus est.

Q. Sertorius proscriptus in ulteriore Hispania ingens bellum excitauit.

L. Manlius procos. et M. Domitius legatus ab Hirtuleio quaestore proelio uicti sunt.

Praeterea res a P. Seruilio procos. aduersus Cilicas gestas continet.

XCI

Cn. Pompeius cum adhuc eques R. esset, cum imperio proconsulari aduersus Sertorium missus est. Sertorius aliquot urbes expugnauit plurimasque ciuitates in potestatem suam redegit.

Appius Claudius procos. Thracas pluribus proeliis uicit.

Q. Metellus procos. L. Hirtuleium, quaestorem Sertori, cum exercitu cecidit.

XCII

Cn. Pompeius dubio euentu cum Sertorio pugnauit, ita ut singula ex utraque parte cornua uicerint. Q. Metellus Sertorium et Perpernam cum duobus exercitibus proelio fudit, cuius uictoriae partem cupiens ferre Pompeius parum prospere pugnauit. Obsessus deinde Cluniae Sertorius adsiduis eruptionibus non leuiora damna obsidentibus intulit.

Praeterea res ab Curione procos. in Thracia gestas aduersus Dardanos et Q. Sertori multa crudelia in suos facta continet; qui plurimos ex amicis et secum proscriptis crimine pro insimulatos occidit.

XCIII

P. Seruilius procos. in Cilicia Isauros domuit et aliquot urbes piratarum expugnauit.

Nicomedes, Bithyniae rex, populum R. fecit heredem regnumque eius in prouinciae formam redactum est.

Mithridates foedere cum Sertorio icto bellum populo R. intulit. Apparatus dein regiarum copiarum pedestrium naualiumque; et occupata Bithynia M. Aurelius Cotta cos. ad Calchedona proelio a rege uictus; resque a Pompeio et Metello aduersus Sertorium qui omnibus belli militiaeque artibus par fuit. Ab obsidione Calagurris oppidi depulsos coegerit diuersas regiones petere, Metellum ulteriorem Hispaniam, Pompeium Galliam.

XCIV

L. Licinius Lucullus cos. aduersus Mithridaten equestribus proeliis feliciter pugnavit et aliquot expeditiones prosperas fecit poscentesque pugnam milites a seditione inhibuit.

Deiotarus, Gallograeciae tetrarches, praefectos Mithridatis bellum in Phrygia mouentes cecidit.

Praeterea res a Cn. Pompeio in Hispania contra Sertorium prospere gestas continet.

XCV

C. Curio procos. Dardanos in Thracia domuit. IIII et LXX gladiatores Capuae ex ludo Lentuli profugerunt et congregata seruitiorum ergastulorumque multitudine Crixo et Spartaco ducibus bello excitato Claudium Pulchrum legatum et P. Varenum praetorem proelio uicerunt.

L. Lucullus procos. ad Cyzicum urbem exercitum Mithridatis fame ferroque deleuit, pulsumque Bithynia regem uariis belli ac naufragiorum casibus tractum coegit in Pontum profugere.

XCVI

Q. Arrius praetor Crixum, fugitiuorum ducem, cum XX milia hominum cecidit.

Cn. Lentulus cos. male aduersus Spartacum pugnavit. Ab eodem L. Gellius cos. et Q. Arrius praetor acie uicti sunt.

Sertorius a M. Perpenna et M. Antonio et aliis coniuratis in conuiuio interfectus est octauo ducatus sui anno ; magnus dux et aduersus duos imperatores, Pompeium et Metellum, uel frequentius uictor, ad ultimum et saeuus et prodigus.

Imperium partium ad Marcum Perpennam translatum, quem Cn. Pompeius uictum captumque interfecit, ac recepit Hispanias decimo fere anno quam coeptum erat bellum.

C. Cassius procos. et Cn. Manlius praetor male aduersus Spartacum pugnaverunt idque bellum M. Crasso praetori mandatum est.

XCVII

M. Crassus praetor primum cum parte fugitiuorum quae ex Gallis Germanisque constabat feliciter pugnavit, caesis hostium XXXV milia et ducibus eorum Casto et Gannico. Cum Spartaco dein debellauit, caesis eum ipso LX milibus. M. Antonius praetor bellum aduersus Cretenses parum prospere susceptum morte sua finiit.

M. Lucullus procos. Thracas subegit. L. Lucullus in Ponto aduersus Mithridaten feliciter pugnavit, caesis hostium amplius quam LX milibus.

M. Crassus et Cn. Pompeius coss. facti (S. C. Pompeius, antequam quaesturam gereret, ex equite Romano) tribuniciam potestatem restituerunt. Iudicia quoque per M. Aurelium Cottam praetorem ad equites Romanis translata sunt.

Mithridates desperatione rerum suarum coactus ad Tigranen, Armeniae regem, confugit.

XCVIII

Machares, filius Mithridatis, Bospori rex, a L. Lucullo in amicitiam receptus est.

Cn. Lentulus et L. Gellius censores asperam censuram egerunt IIII et LX senatu motis. A quibus lustro condito censa sunt ciuium capita DCCCC milia.

L. Metellus praetor in Sicilia aduersus piratas prospere rem gessit.

Templum Iouis in Capitolio, quod incendio consumptum ac reffectum erat, a Q. Catulo dedicatum est.

L. Lucullus in Armenia Mithridaten et Tigranen et ingentes utriusque regis copias pluribus proeliis fudit.

Q. Metellus procos. bello aduersus Cretenses mandato Cydoniam urbem obsedit.

C. Triarius, legatus Luculli, aduersus Mithridaten parum prospere pugnavit.

Lucillum, ne persequeretur Mithridaten ac Tiganen summamque uictoriae inponeret, seditio militum tenuit, quia sequi nolebant, id est duae legiones Valerianae, quae impleta a se stipendia dicentes Lucillum reliquerunt.

XCIX

Q. Metellus procos. Cnoson et Lyctum et Cydoniam et alias plurimas urbes expugnauit.

L. Roscius trib. pl. legem tulit ut equitibus Romanis in theatro XIII gradus proximi adsignarentur.

Cn. Pompeius lege ad populum lata persequi piratas iussus qui commercium annonae intercluserant intra quadagesimum diem toto mari eos expulit, belloque cum his in Cilicia confecto acceptis in deditionem piratis agros et urbes dedit.

Praeterea res gestas a Q. Metello aduersus Cretenses continet et epistulas Metelli et Cn. Pompei inuicem missas. Queritur Q. Metellus gloriam sibi rerum a se gestarum a Pompeio praeripi, qui in Cretam miserit legatum suum ad accipiendas urbium deditiones. Pompeius rationem reddit hoc se facere debuisse.

C

C. Manilius tr. pl. magna indignatione nobilitatis legem tulit ut Pompeio Mithridaticum bellum mandaretur. Contio eius bona. Q. Metellus perdomitis Cretensibus liberae in id tempus insulae leges dedit.

Cn. Pompeius ad gerendum bellum aduersus Mithridaten profectus cum rege Parthorum, Phraate, amicitiam renouauit. Equestri proelio Mithridaten uicit.

Praeterea bellum inter Phraaten, Parthorum regem, et Tigranen, Armeniorum, ac deinde inter filium Tigranen patremque gestum continet.

CI

Cn. Pompeius Mithridaten nocturno proelio uictum coegit Bosporon profugere.

Tigranen in deditionem accepit eique ademptis Syria, Phoenice, Cilicia, regnum Armeniae restituit.

Coniuratio eorum qui in petitione consulatus ambitus damnati erant facta de interficiendis consulibus obpressa est.

Cn. Pompeius cum Mithridaten persequeretur in ultimas ignotasque gentes penetrauit. Hiberos Albanosque, qui transitum non dabant, proelio uicit.

Praeterea fugam Mithridatis per Colchos Heniochosque et res ab eo in Bosporo gestas continet.

CII

Cn. Pompeius in prouinciae formam Pontum redegit.

Pharnaces, filius Mithridatis, bellum patri intulit. Ab eo Mithridates obsessus in regia cum ueneno sumpto parum profecisset ad mortem, a milite Gallo, nomine Bitoco, a quo ut adiuuaret se petierat, interfectus est. Cn. Pompeius Iudaeos subegit, fanum eorum Hierosolyma, inuiolatum ante id tempus, cepit.

L. Catilina bis repulsam in petitione consulatus passus cum Lentulo praetore et Cethego et compluribus aliis coniurauit de caede consulum et senatus, incendiis urbis et obprimenda re p., exercitu quoque in Etruria comparato. Ea coniuratio industria M. Tulli Ciceronis eruta est. Catilina urbe pulso, de reliquis coniuratis supplicium sumptum est.

CIII

Catilina a C. Antonio procos. cum exercitu caesus est.

P. Clodius accusatus quod in habitu mulieris in sacrarium, in quo uirum intrare nefas est, cum intrasset et uxorem Metelli pontificis stuprasset, absolutus est.

C. Pontinus praetor Allobrogas qui rebellauerant ad Solonem domuit.

P. Clodius ad plebem transiit.

C. Caesar Lusitanos subegit. Eoque consulatus candidato et captante rem p. inuadere conspiratio inter tres ciuitatis principes facta est, Cn. Pompeium, M. Crassum, C. Caesarem.

Leges agrariae a Caesare cos. cum magna contentione inuito senatu et altero cos. M. Bibulo latae sunt.

M. Antonius procos. in Thracia parum prospere rem gessit.

M. Cicero lege a P. Clodio tr. pl. lata quod indemnatos ciues necauisset in exilium missus est.

Caesar in prouinciam Galliam profectus Heluetios, uagam gentem, domuit, quae sedem quaerens per prouinciam Caesaris Narbonensem iter facere uolebat.

Praeterea situm Galliarum continet.

Pompeius de liberis Mithridatis et Tigrane, Tigranis filio, triumphauit Magnusque a tota contione consalutatus est.

CIV

Prima pars libri situm Germaniae moresque continet. C. Caesar cum aduersus Germanos qui Ariouisto duce in Galliam transcenderant exercitum duceret, rogatus ab Aeduis et Sequanis, quorum ager possidebatur trepidationem militum propter metum nouorum hostium ortam adlocutione exercitus inhibuit et uictos proelio Germanos Gallia expulit.

M. Cicero, Pompeio inter alios hortante et T. Annio Milone tr. pl., ingenti gaudio senatus ac totius Italiae ab exilio reductus est.

Cn. Pompeio per quinquennium annonae cura mandata est.

Caesar Ambianos, Suessionas, Viruomandos, Atrebates, Belgarum populos, quorum ingens multitudo erat, proelio uictos in deditionem accepit, ac deinde contra Neruios, unam ex horum ciuitatibus, cum magno discrimine pugnavit eamque gentem deleuit, quae bellum gessit donec ex LX milia armatorum D superessent, ex DC senatoribus tres tantum euadereut.

Lege lata de redigenda in prouinciae formam Cypro et publicanda pecunia regia M. Catoni administratio eius rei mandata est.

Ptolemaeus, Aegypti rem, ob iniurias quas patiebatur a suis relicto regno Romam uenit.

C. Caesar Venetos, gentem Oceano iunctam, nauali proelio uicit.
Praeterea res a legatis eius eadem fortuna gestas continet.

CV

Cum C. Catonis tribuni plebis intercessionibus comitia tollerentur, senatus uestem mutauit.

M. Cato in petitione praeturae praelato Vatinio repulsam tulit. Idem cum legem impediret, qua prouinciae consulibus in quinquennium, Pompeio Hispaniae, Crasso Syria et Parthicum bellum, dabantur, a C. Trebonio tr. pl., legis alicitore, in uincula ductus est.

A. Gabinius procos. Ptolemaeum reduxit in regnum Aegypti, eiecto Archelao, quem sibi regem adsciuerant.

Victis Germanis in Gallia Caesar Rhenum transcendit et proximam partem Germaniae domuit, ac deinde Oceano in Britanniam primo parum prospere tempestatibus aduersis traiecit, iterum felicius, magnaue multitudine hostium caesa aliquam partem insulae in potestatem redegit.

CVI

Iulia, Caesaris filia, Pompei uxor, decessit, honosque ei a populo habitus est, ut in campo Martio sepeliretur.

Gallorum aliquot populi Ambiorige duce, Eburonum rege, defecerunt. A quibus Cotta et Titurius, legati Caesaris, circumuenti insidiis cum exercitu cui praeerant caesi sunt. Et cum aliarum quoque legionum castra oppugnata magno labore defensa essent, inter quae eius cui in Treueris praeerat Q. Cicero, ab ipso Caesare hostes proelio fusi sunt.

M. Crassus bellum Parthis inlaturus Euphraten flumen transiit, uictusque proelio in quo et filius eius cecidit, cum reliquias exercitus in collem recepisset, euocatus in colloquium ab hostibus uelut de pace acturis, quorum dum erat Surenas, comprehensusque et, nequid uiuus pateretur repugnans, interfectus est.

CVII

C. Caesar Treueris in Gallia uictis iterum in Germaniam transiit, nulloque ibi hoste inuento reuersus in Galliam Eburonas et alias ciuitates, quae conspirauerant, uicit et Ambiorigem in fuga persecutus est.

P. Clodi a T. Annio Milone candidato consulatus Appia uia ad Bouillas occisi corpus plebs in curia cremauit.

Cum seditiones inter candidatos consulatus, Hypsaeum, Scipionem, Milonem essent, qui armis ac ui contendebant, ad comprimendas eas Cn. Pompeius delegatus et a senatu cos. tertio factus est absens et solus, quod nulli alii umquam accidit.

Quaestione decreta de morte P. Clodi Milo iudicio damnatus in exilium actus est.

Lex lata est ut ratio absentis Caesaris in petitione consulatus haberetur, inuito et contradicente M. Catone.

Praeterea res gestas a C. Caesare aduersus Gallos qui prope uniuersi Vercingentorige Aruerno duce defecerunt, et laboriosas obsidiones urbium continet, inter quas Auarici Biturigum et Gergouiae Aruernorum.

CVIII

C. Caesar Gallos ad Alesiam uicit omnesque Galliae ciuitates quae in armis fuerant, in deditionem accepit.

C. Cassius, quaestor M. Crassi, Parthos, qui in Syriam transcenderant, cecidit.

In petitione consulatus M. Cato repulsam tulit, creatis coss. Ser. Sulpicio M. Marcello.

C. Caesar Bellouacos cum aliis Gallorum populis domuit.

Praeterea contentiones inter consules de successore C. Caesari mittendo, agente in senatu Marcello cos. ut Caesar ad petitionem consulatus ueniret, cum is lege lata in id tempus consulatus prouincias obtinere deberet, resque a M. Bibulo in Syria gestas continet.

CIX

Causae ciuilium armorum et initia referuntur contentionesque de successore C. Caesari mittendo, cum se dimissurum exercitus negaret nisi a Pompeio dimitterentur. Et C. Curionis tr. pl. primum aduersus Caesarem, dein pro Caesare actiones continet.

Cum senatus consultum factum esset ut successor Caesari mitteretur, M. Antonio et Q. Cassio tr. pl., quoniam intercessionibus id senatus c. impediabant, urbe pulsus, mandatum est a senatu coss. et Cn. Pompeio, ut uiderent nequid res p. detrimenti caperet.

C. Caesar bello inimicos persecuturus cum exercitu in Italiam uenit, Corfinium cum M. Domitio et P. Lentulo cepit eosque dimisit, Cn. Pompeium ceterosque partium eius Italia expulit.

CX

C. Caesar Massiliam, quae portas cluserat, obsedit et relictis in obsidione urbis eius legatis C. Trebonio et D. Bruto profectus in Hispaniam L. Afranium et M. Petreium, legatus Cn. Pompei, cum VII legionibus ad Ilerdam in deditionem accepit omnesque incolumes dimisit, Varrone quoque, legato Pompei, cum exercitu in potestatem suam redacto. Gaditanis ciuitatem dedit. Massilienses duobus naualibus proeliis uicti post longam obsidionem potestati Caesaris se permiserunt.

C. Antonius, legatus Caesaris, male aduersus Pompeianos in Illyrico rebus gestis captus est. In quo bello Opitergini transpadani, Caesaris auxiliares, rate sua ab hostibus nauibus clusa, potius quam in potestatem hostium uenirent, inter se concurrentes occubuerunt.

C. Curio, legatus Caesaris in Africa, cum prospere aduersus Varum, Pompeianarum partium ducem, pugnasset, a Iuba, rege Mauretaniae, cum exercitu caesus est.

C. Caesar in Graeciam traiecit.

CXI

M. Caelius Rufus praetor, cum seditiones in urbe concitaret nouarum tabularum spe plebe sollicitata, abrogato magistratu pulsus urbe Miloni exuli, qui fugitiuorum exercitum contraxerat, se coniunxit. Vterque, cum bellum molirentur, interfecti sunt.

Cleopatra, regina Aegypti, ab Ptolemaeo fratre regno pulsa est.

Propter Q. Cassi praetoris auaritiam crudelitatemque Cordubenses in Hispania cum duabus Varronianis legionibus a partibus Caesaris descuerunt.

Cn. Pompeius ad Dyrrachium obsessus a Caesare et, praesidiis eius cum magna clade diuersae partis expugnatis, obsidione liberatus translato in Thessaliam bello apud Pharsaliam acie uictus est.

Cicero in castris remansit, uir nihil minus quam ad bella natus. Omnibusque aduersarum partium, qui se potestati uictoris permiserant, Caesar ignouit.

CXII

Trepidantia uictarum partium in diuersas orbis terrarum partes et fuga refertur : Cn. Pompeius cum Aegyptum petisset, iussu Ptolenaei regis, pupilli sui, auctore Theodoto praeceptore, cuius magna apud regem auctoritas erat, et Pothino occisus est ab Achilla, cui id facinus erat delegatum, in nauicula antequam in terram emiret. Cornelia uxor et Sex. Pompeius filius Cypron refugerunt.

Caesar post tertium diem insecutus, cum ei Theodotus caput Pompei et anulum obtulisset, infensus est et inlacrimauit. Sine periculo Alexandriam tumultuantem intrauit.

Caesar dictator creatus Cleopatram in regnum Aegypti reduxit et inferentem bellum Ptolemaeum isdem auctoribus, quibus Pompeium interfecerat, cum magno suo discrimine euicit. Ptolemaeus dum fugit, in Nilo nauicula subsedit.

Praeterea laboriosum M. Catonis in Africa per deserta cum legionibus iter et bellum a Cn. Domitio aduersus Pharnacen parum prospere gestum continet.

CXIII

Confirmatis in Africa Pompeianis partibus imperium earum P. Scipioni delatum est, Catone, cui ex aequo deferebatur imperium, cedente. Et cum de diruenda urbe Vtica propter fauorem ciuitatis eius in Caesarem deliberaretur, idque ne fieret M. Cato tenuisset, Iuba suadente ut dirueretur, tutela eius et custodia mandata est Catoni.

Cn. Pompeius Magni filius, in Hispania contractis uiribus, quarum ducatum nec Afranius nec Petreius excipere uolebant, bellum aduersus Caesarem renouauit.

Pharnaces, Mithridatis filius, rex Ponti, sine ulla belli mora uictus est. Cum seditiones Romae a P. Dolabella tr. pl. legem ferente de nouis tabulis excitatae essent et ex ea causa plebs tumultuaretur, inductis a M. Antonio, magistro equitum, in urbem militibus octingenti e plebe caesi sunt.

Caesar ueteranis cum seditione missionem postulantibus dedit, et cum in Africam traiecisset, aduersus copias Iubae regis cum discrimine magno pugnauit.

CXIV

Bellum in Syria Caecilius Bassus, eques Romanus Pompeianarum partium, excitauit, relicto a legione Sexto Caesare, quae ad Bassum transierat, occisoque eo. Caesar Scipionem praetorem Iubamque uicit ad Thapsum, castris eorum expugnatis.

Cato audita re cum se percussisset Vticae et interueniente filio curaretur, inter ipsam curationem rescisso uulnere expirauit anno aetatis XLVIII.

Petreius Iubam seque interfecit. P. Scipio in naue circumuentus honestae morti uocem quoque adiecit ; quaerentibus enim imperatorem hostibus dixit: "imperator se bene habet".

Faustus et Afranius occisi. Catonis filio uenia data.

Brutus legatus Caesaris in Gallia Bellouacos rebellantes proelio uicit.

CXV

Caesar quattuor triumphos duxit, ex Gallia, ex Aegypto, ex Ponto, ex Africa, epulum et omnis generis spectacula dedit.

M. Marcello consulari, senatu rogante, reditum concessit. Quo beneficio eius Marcellus frui non potuit, a Cn. Magio cliente suo Athenis occisus. Recensum egit, quo censa sunt ciuium capita CL milia.

Profectusque in Hispaniam aduersus Cn. Pompeium, multis utrimque expeditionibus factis et aliquot urbibus expugnatis summam uictoriam cum magno discrimine ad Mundam urbem consecutus est. Necatus est Cn. Pompeius, Sex. effugit.

CXVI

Caesar ex Hispania quintum triumphum egit. Et cum plurimi maximique honores a senatu decreti essent, inter quos ut "parens patriae" appellaretur et sacrosanctus ac dictator in perpetuum esset, inuidiae aduersus eum causam praestiterunt, quod senatui deferenti hos honores, cum ante aedem Veneris Genetricis sederet, non adsurrexit, et quod a M. Antonio cos., collega suo, inter Iupercos currente diadema capiti suo impositum in sella reposuit, et quod Epidio Marullo et Caesetio Flauo trib. pl., inuidiam ei tamquam regnum adfectanti mouentibus potestas abrogata est.

Ex his causis conspiratione in eum facta, cuius capita fuerunt M. Brutus et C. Cassius et ex Caesaris partibus Dec. Brutus et C. Trebonius, in Pompei curia occisus est XXIII uulneribus occupatumque ab interfectoribus eius Capitolium.

Obluione deinde caedis eius a senatu decreta, obsidibus Antoni et Lepidi de liberis acceptis coniurati a Capitolio descenderunt.

Testamento Caesaris heres ex parte dimidia institutus est C. Octavius, sororis nepos, et in nomen adoptatus est.

Caesaris corpus cum in campum Martium ferretur, a plebe ante rostra crematum est.

Dictaturae honos in perpetuum sublatus est.

Chamiatas, humillimae sortis homo, qui se C. Mari filium ferebat, cum apud credulam plebem seditiones moueret, necatus est.

CXVII

C. Octavius Romam ex Epiro uenit (eo enim illum Caesar praemiserat bellum in Macedonia gesturus) ominibusque prosperis exceptus et nomen Caesaris sumpsit.

In confusione rerum ac tumultu M. Lepidus pontificatum maximum interceptit.

Et M. Antonius cos. cum impotenter dominaretur legemque de permutatione prouinciarum per uim tulisset et Caesarem quoque petentem ut sibi aduersus percussores auunculi adesset, magnis iniuriis adfecisset, Caesar et sibi et rei p. uires aduersus eum paraturus deductos in colonias ueteranos excitauit. Legiones quoque quarta et Martia signa ab Antonio ad Caesarem tulerunt, deinde et complures saeuitia M. Antoni, passim in castris suis trucidantis qui ei suspecti erant, ad Caesarem descuerunt.

Dec. Brutus ut petenti Cisalpinam Galliam Antonio obsisteret, Mutinam cum exercitu occupauit.

Praeterea discursum utriusque partis uirorum ad accipiendas prouincias apparatusque belli continet.

CXVIII

M. Brutus in Graecia sub praetexto rei p. et suscepti contra M. Antonium belli exercitum, cui P. Vatinius praererat, cum prouincia in potestatem suam redegit.

C. Caesari, qui priuatus rei p. arma sumpserat, pro praetore imperium a senatu datum est cum consularibus ornamentis adiectumque ut senator esset.

M. Antonius Dec. Brutum Mutinae obsedit, missique ad eum a senatu legati de pace parum ad componendam eam ualuerunt. Populus R. saga sumpsit.

M. Brutus in Epiro C. Antonium praetorem cum exercitu potestati suae subegit.

CXIX

C. Trebonius in Asia fraude P. Dolabellae occisus est. Ob id facinus Dolabella hostis a senatu iudicatus est.

Cum Pansa cos. male aduersus Antonium pugnasset, A. Hirtius cos. cum exercitu superueniens fuis M. Antoni copiis fortunam utriusque partis aequauit. Victus deinde ab Hirtio et Caesare Antonius in Galliam confugit et M. Lepidum cum legionibus quae sub eo erant sibi iunxit, hostisque a senatu cum omnibus qui intra praesidia eius essent iudicatus est. A. Hirtius, qui post uictoriam in ipsis hostium castris ceciderat, et C. Pansa ex uulnere quod in aduerso proelio exceperat, defunctus in campo Martio sepulti sunt.

Aduersus C. Caesarem, qui solus ex tribus ducibus supererat, parum gratus senatus fuit, qui Dec. Bruto obsidione Mutinensi a Caesare liberato triumphii honore decreto Caesaris militumque eius mentionem non satis gratam habuit. Ob quae C. Caesar reconciliata per M. Lepidum cum M. Antonio gratia Romam cum exercitu uenit et praeculis aduentu eius his qui in eum iniqui erant, cum XVIII annos haberet, consul creatus est.

CXX

C. Caesar cos. legem tulit de quaestione habenda in eos quorum opera Caesar pater occisus esset; postulatique ea lege M. Brutus, C. Cassius, Dec. Brutus absentes damnati sunt.

Cum M. Antoni uires Asinius quoque Pollio et Munatius Plancus cum exercitibus suis adiuncti ampliassent, et Dec. Brutus, cui senatus ut persequeretur Antonium mandauerat, relictus a legionibus suis profugisset, caesus iussu Antoni, in cuius potestatem uenerat, a Capeno Sequano interfectus est.

C. Caesar pacem cum Antonio et Lepido fecit ita ut III uiri rei p. constituendae per quinquennium essent ipse et Lepidus et Antonius et ut suos quisque inimicos proscriberent. In qua proscriptione plurimi equites R., CXXX senatorum nomina fuerunt, et inter eos L. Pauli, fratris M. Lepidi, et L. Caesaris, Antoni auunculi, et M. Ciceronis. Huius occisi a Popillio, legionario milite, cum haberet annos LXIII, caput quoque cum dextra manu in rostris positum est.

Praeterea res a M. Bruto in Graecia gestas continet.

CXXI

C. Cassius, cui mandatum a senatu erat ut Dolabellam hostem iudicatum bello persequeretur, auctoritate rei p. adiutus Syriam cum tribus exercitibus, qui in eadem prouincia erant, in potestatem suam redegit, Dolabellam in urbe Laodicia obsessum mori coegit. M. quoque Bruti iussu C.

Antonius captus occisus est

CXXII

M. Brutus aduersus Thracas parumper prospere rem gessit, omnibusque transmarinis prouinciis exercitibusque in potestatem eius et C. Cassi redactis coierunt Smyrnae uterque ad ordinanda belli futuri consilia. M. Messalae Publicolam fratrem uinctum communi consilio condonauerunt.

CXXIII

Sex. Pompeius, Magni filius, collectis ex Epiro proscriptis ac fugitiuis cum exercitu diu sine ulla loci cuiusquam possessione praedatus in mari Messanam, oppidum in Sicilia, primum, dein totam prouinciam occupauit occisoque Pompeio Bithynico praetore, Q. Saluidenum, legatum Caesaris, nauali proelio uicit.

Caesar et Antonius cum exercitibus in Graecian traicerunt bellum aduersus Brutum et Cassium gesturi.

Q. Cornificius in Africa T. Sextium, Cassianarum partium ducem, proelio uicit.

CXXIV

C. Caesar et Antonius apud Philippos uario euentu aduersus Brutum et Cassium pugnauerunt ita ut dextra utriusque cornua uincerent ex castra quoque utrimque ab his qui uicerant expugnarentur. Sed inaequalem fortunam partium mors Cassi fecit qui cum in eo cornu fuisset quod pulsum erat, totum exercitum fustum ratus mortem consciuit.

Altera dein die uictus M. Brutus et ipse uitam finiit exorato Stratone, fugae comite, ut sibi gladium adigeret. Annorum erat circiter XL.

Q. Hortensius occisus est.

CXXV

Caesar relicto trans mare Antonio (prouinciae ea parte imperi positae ei cesserant) reuersus in Italiam ueteranis agros diuisit. Seditiones exercitus sui quas corrupti a Fulua, M. Antoni uxore, milites aduersus imperatorem suum concitauerant, cum graui periculo inhibuit. L. Antonius cos., M. Antoni frater, eadem Fulua consiliante bellum Caesari intulit. Receptis in partes suas populis quorum agri ueteranis adsignati erant, et M. Lepido, qui custodiae urbis cum exercitu praeerat, fuso hostiliter in urbem inrupit.

CXXVI

Caesar cum esset annorum XXIII, obsessum in oppido Perusia L. Antonium conatumque aliquotiens erumpere et repulsum fame coegit in deditionem uenire ipsique et omnibus militibus eius ignouit, Perusiam diruit, redactisque in potestatem suam omnibus diuersae partis exercitibus bellum citra ullum sanguinem confecit.

CXXVII

Parthi Labieno, qui Pompeianarum partium fuerat, duce in Syriam inruperunt uictoque Decidio Saxa, M. Antoni legato, totam eam prouinciam occupauerunt. M. Antonius cum ad bellum aduersus Caesarem gerendum incitaretur ab uxore Fulua ne concordiae ducum obstaret, pace facta cum Caesare, sororem eius Octauiam in matrimonium duxit. Q. Saluidenum consilia nefaria aduersus Caesarem molitum indicio suo prostravit, isque damnatus mortem consciuit. P. Ventidius Antoni legatus Parthos proelio uictos Syria expulit Labieno, eorum duce, occiso.

Cum uicinus Italiae hostis, Sex. Pompeius, Siciliam teneret et commercium annonae impediret, expostulatam cum eo pacem Caesar et Antonius fecerunt ita ut Siciliam prouinciam haberet.

Praeterea motus Africae et bella ibi gesta continet.

CXXVIII

Cum Sex. Pompeius rursus latrocinii mare infestum redderet nec pacem quam acceperat praestaret, Caesar necessario aduersus eum bello suscepto duobus naualibus proeliis cum dubio euentu pugnavit.

P. Ventidius, legatus Antonii, Parthos in Syria proelio uicit regemque eorum occidit. Iudaei quoque a legatis Antoni subacti sunt.

Praeterea belli Siculi apparatus continet.

CXXIX

Aduersus Sex. Pompeium uario euentu naualibus proeliis pugnatum est ita ut ex duabus Caesaris classibus altera, cui Agrippa praeerat, uinceret, altera, quam Caesar duxerat, deleta expositi in terram milites in magno periculo essent. Victus deinde Pompeius in Siciliam profugit.

M. Lepidus, qui ex Africa uelut ad societatem belli contra Sex. Pompeium a Caesare gerendi traiecerat, cum bellum Caesari quoque inferret, relictus ab exercitu, abrogato triumuiratus honore uitam impetrauit.

M. Agrippa nauali corona a Caesare donatus est, qui honos nulli ante eum habitus erat.

CXXX

M. Antonius dum cum Cleopatra luxuriatur, tarde Mediam ingressus bellum cum legionibus XVIII et XVI milia equitum Parthis intulit, et cum, duabus legionibus amissis, nulla re prospere cedente retro rediret, insectis subinde Parthis et ingenti trepidatione et magno totius exercitus periculo in Armeniam reuersus est, XXI diebus CCC milia fuga emensus. Circa VIII milia hominum tempestatibus amisit.

Tempestates quoque infestas super tam infeliciter susceptum Parthicum bellum culpa sua passus est, quia hiemare in Armenia nolebat, dum ad Cleopatram festinat.

CXXXI

Sex. Pompeius cum in fidem M. Antoni ueniret, bellum aduersus eum in Asia moliens oppressus a

legatis eius occisus est.

Caesar seditionem ueteranorum cum magna pernicie motam inhibuit, Iapydas et Dalmatas et Pannonios subegit.

Antonius Artauasden, Armeniae regem, fide data perductum in uincula conici iussit, regnumque Armeniae filio suo ex Cleopatra nato dedit, quam uxoris loco iam pridem captus amore eius habere coeperat.

CXXXII

Caesar in Illyrico Dalmatas domuit.

Cum M. Antonius ob amorem Cleopatrae, ex qua duos filios habebat, Philadelphum et Alexandrum, neque in urbem uenire uellet neque finito IIIuiratus tempore imperium deponere bellumque moliretur quod urbi et Italiae inferret, ingentibus tam naualibus quam terrestribus copiis ob hoc contractis remissoque Octauiae, sorori Caesaris, repudio, Caesar in Epirum cum exercitu traiecit. Pugnae deinde naualis et proelia equestria secunda Caesaris referuntur.

CXXXIII

M. Antonius ad Actium classe uictus Alexandriam profugit, obsessusque a Caesare, in ultima desperatione rerum, praecipue occisae Cleopatrae falso rumore impulsus, se ipse interfecit.

Caesar Alexandria in potestatem redacta, Cleopatra, ne in arbitrium uictoris ueniret, uoluntaria morte defuncta, in urbem reuersus tres triumphos egit, unum ex Illyrico, alterum ex Actiaca uictoria, tertium de Cleopatra, imposito fine ciuilibus bellis altero et uicesimo anno.

M. Lepidus Lepidi, qui triumuir fuerat, filius coniuratione aduersus Caesarem facta bellum moliens oppressus et occisus est.

CXXXIV

C. Caesar rebus compositis et omnibus prouinciis in certam formam redactis Augustus quoque cognominatus est ; et mensis Sextilis in honorem eius appellatus est.

Cum ille conuentum Narbone egit, census a tribus Galliis, quas Caesar pater uicerat, actus.

Bellum aduersus Basternas et Moesos et alias gentes a M. Crasso referuntur.

CXXXV

Bellum a M. Crasso aduersus Thracas et a Caesare aduersus Hispanos gestum refertur, et Salassi, gens Alpina, perdomiti.

CXXXVI et CXXXVII

Periochae dessunt

CXXXVIII

Raeti a Tib. Nerone et Druso, Caesaris priuignis, domiti. Agrippa, Caesaris gener, mortuus.
A Druso census actus est.

CXXXIX

Ciuitates Germaniae cis Rhenum et trans Rhenum positae oppugnantur a Druso, et tumultus, qui ob censum exortus in Gallia erat, conponitur.

Ara dei Caesaris ad confluentem Araris et Rhodani dedicata, sacerdote creato C. Iulio Vercondaridubno Aeduo.

CXL

Thraces domiti a L. Pisone, item Cherusci, Tencteri, Chauci aliaeque Germanorum trans Rhenum gentes subactae a Druso referuntur.

Octauia, soror Augusti, defuncta, ante amisso filio Marcello cuius monimenta sunt theatrum et porticus nomine eius dicata.

CXLI

Bellum aduersus transrhenanas gentes a Druso gestum refertur. In quo inter primores pugnauerunt Chumstinctus et Auetius, tribuni ex ciuitate Neruiorum.

Dalmatas et Pannonios Nero, frater Drusi, subegit.

Pax cum Parthis facta est signis a rege eorum, quae sub Crasso et postea sub Antonio capta erant, redditis.

CXLII

Bellum aduersus Germanorum trans Rhenum ciuitates gestum a Druso refertur.

Ipse ex fractura, equo super crus eius conlapso XXX die quam id acciderat, mortuus. Corpus a Nerone fratre, qui nuntio uoletudinis euocatus raptim adcurrerat, Romam peruectum et in tumulo C. Iuli reconditum. Laudatus est a Caesare Augusto uirico. Et supremis eius plures honores dati.